



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae  
Principia Et Usum Pars ...**

Complectens Sectionem III. & IV.

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii, 1762**

Sectio III. De Bonis Ecclesiarum, Et Ecclesiasticorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68067](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68067)

SECTIO III.  
DE BONIS ECCLESIARUM,  
ET ECCLESIASTICORUM.

TITULUS I.  
DE BONIS TEMPORALIBUS  
ECCLESIARUM.

*Confer. Decretal. lib. 3. tit. 39.*



§. I.

**N**OMINE Bonorum Ec- *Bona ad*  
clesiasticorum intel- *Cultum*  
ligimus ea omnia, *Divi-*  
quæ ad fines & usus *num de-*  
Ecclesiæ Christianæ proprios, legiti- *stinanda*  
ma autoritate destinata sunt 1.) *esse, do-*  
A Non

---

1.) LAUNOJUS lib. de Cura Eccles. pro  
miferis & pauperib. Oper. tom. 2. vol.  
2. c. 2. perperam defendit definitionem  
Eccle-

*De Jure Rer. Eccles. Pars poster.*

cent mo-  
res om-  
nium  
genti-  
um:

Non molior hoc loco Apologiam contra malevolos Bonorum Ecclesiasticorum insectatores, qui totius humani generis iudicio condemnantur. Nulla enim gens tam barbara, nulla tam scelerata unquam extitit, quæ non censuerit sibi onus incumbere conferendi liberales sumptus ad Cultum Numinis promovendum, alendos ejusdem Ministros, struenda conservandaque Tempia, & alia Religionis ac Pietatis obsequia exercenda. Superfluum foret, hanc Legis naturalis obligationem multis argumentis ac exemplis omnium Gentium demonstrare: nec Legem Mosaicam adduco.

Ordina-  
tio:

§. 2. Christianis sufficit sanctissima Ordinatio, qua Divinus Servator noster Christus JESUS Ecclesiam suam informavit, ut Evangelii Præconibus, & in procuranda animarum salute occupatis, non solum necessaria vi-  
tæ

---

Ecclesiasticarum facultatum tanquam adæquatam, quod nihil aliud sint, quam Patrimonia seu Res pauperum. Horum curam gerit Ecclesia: sed alia etiam curat Divino Cultui promovendo necessaria.

*De Bonis Tempor. Eccles.* 3

tæ, sed quæcunque opportuna Cultus Divini promovendi, Charitatisque fovendæ adminicula Populus subministraret. Unde Sapientissimus hic Legislato Apostolos se vivo, per vicos & oppida Palæstinæ ad promulgandum Adventum suum ablegavit, auri argentique vacuos; cum sciret, ab iis, ad quos Discipuli pervenirent, alimenta negari non posse: *dignus enim est Operarius cibo suo 2.)*. Jussit igitur eos in eadem domo manere, *edentes & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim Operarius mercede sua 3.)*.

§. 3. Ipsum etiam Christum, *co-* *Et Ex-*  
*mitantibus* Apostolis suis, per Civi- *emplum*  
*tates & Castella* iter facientem, *se-* *Christi:*  
*quebantur opulentæ fæminæ multe,*  
*quæ ministrabant ei de facultatibus suis 4.)*.  
Nec minus in futuros usus reserva-  
bantur a Christo Eleemosynæ, teste  
ipso Juda, qui *fur erat, & loculos ha-*  
*bens, ea quæ mittebantur, portabat 5.)*.  
Hæc non pro sua necessitate, sed pro  
informanda Ecclesia fecit ille, cui

A 2                      esu-

---

2.) MATTH. X. 10. 3.) LUC. X. 7.  
4.) LUC. VIII. 3. 5.) JOAN. XII. 6.

esurienti ministrabant Angeli 6.) ;  
 & pro dando censu piscis præbebat  
 staterem 7.). Ad sacrum ultimæ Cœ-  
 næ ritum solemniter peragendum exi-  
 gebatur opportunus locus : ad eum  
 obtinendum alio opus non erat, quam  
 dicere *domino domus, quia Magister di-*  
*cit: ubi est refectio mea, ubi Pascha cum*  
*discipulis meis manducem* 8.)? mox de-  
 monstrabatur *Cœnaculum grande, stra-*  
*tum*, & ad hos pios usus abunde in-  
 structum. Imo hic ipse Novæ legis  
 Autor, qui strictissimam sequebatur,  
 suosque sequi docuit paupertatem,  
 eo tempore, quo ad gravissimos cru-  
 ciatus & acerbissimam mortem pro  
 nobis subeundam promptissima vo-  
 luntate properabat, non est dedigna-  
 tus, delicias quasdam religioso affe-  
 ctu sibi impensas benigne acceptare,  
 dum pedes ejus unguento pretioso  
 ungebantur 9.), fracto alabastro Ca-  
 put perfundebatur 10.), ita ut do-  
 mus impleta sit ex odore unguenti 11.).

§. 4.

- 
- 6.) MATTH. IV. II. 7.) Ib. XVII. 26.  
 8.) MARCI XIV. 14. 9.) JOANN. XII. 3.  
 10.) MATTH. XXVI. 7. MARC. XIV. 3.  
 11.) JOANN. XII. 3.

*De Bonis Tempor. Eccles. 5*

§. 4. His documentis & exemplis *Ac Apo-*  
animabantur Evangelii Præcones ad *stolo-*  
omnia vitæ subsidia tuto speranda; *rum.*  
fideles autem populi ad eadem lar-  
giter subministranda. Hierosolymis  
quidem, quam Urbem ex oraculo  
Magistri sui paulo post evertendam  
sciebant, Bona sua distrahebant,  
pretio dispensato in omnes, *prout*  
*cuique opus erat 12. ).* In itinere A-  
postoli, exemplo Christi alebantur  
a piis & opulentis fæminis, & ubi-  
que reperiebant promptam recens  
converforum liberalitatem. Quam-  
vis Apostolus Paulus eodem jure  
non sit usus, inculcat tamen Fide-  
libus obligationem naturalem alendi  
Ministros Christi, & conferendi  
sumptus ad pias Ecclesiæ functiones,  
firmatam mandato Christi 13. ).

A 3

§. 5.

12.) Act. II. 45. 13.) Numquid non ha-  
bemus potestatem manucandi & bibendi?  
nunquid non habemus potestatem, mulie-  
rem sororem circumducendi, sicut & ceteri  
Apostoli, & Fratres Domini? .. quis mili-  
tat /uis stipendijs unquam? .. si nos vobis  
spiritualia seminavimus, magnum est, si  
nos carnalia vestra metamus? .. Ita &  
Dominus ordinavit ijs, qui Evange-  
lium annuntiant, de Evangelio vivere.  
1. Corinth, IX.

*Conve-  
nienter  
servan-  
tur Bo-  
na im-  
mobilia  
oblata:*

§. 5. Non deerant unquam in Ec-  
clesia, qui quotidiana vitæ subsidia  
a Fidelibus identidem expectarent,  
vel qui suo labore & industria exem-  
plo Pauli illa sibi procurarent: ni-  
hilominus sanctissimi & rerum tem-  
poralium contemptu notissimi Viri,  
a primis jam Ecclesiæ sæculis cen-  
suerunt, consultum non esse, ut  
universim necessarii sumptus pro  
Cultu Divino amplificando, & alen-  
dis Ecclesiæ Ministris a quotidiana  
Fidelium liberalitate dependerent.  
Gauderet Ecclesia, ejusque Ministri  
facilius puras in Bonis administran-  
dis manus conservarent, si hæc Bo-  
na ex solis Fidelium Oblationibus  
constarent, præsentis tantummodo  
& quotidianæ necessitati suffecturis.  
Verum non poterant decenter repu-  
diari omnes fundi a Fidelibus ob-  
lati; nec integrum semper erat eos  
vendere, tum quod ij, qui illos  
DEO consecrabant, servatos in do-  
minio Ecclesiæ vellent; tum quod  
in eorum possessione haberetur fons  
perpetuus & securus pro Ecclesiæ  
& pauperum subsidio, cui abdicatis  
bonis immobilibus præjudicari non  
poterat, præsertim cum decrescens  
Fide-

*De Bonis Tempor. Eccles.* 7

Fidelium liberalitas non promitteret in futura tempora sufficientes Oblationes pro aucto Ministrorum & pauperum numero 14.), quorum congruam sustentationem Laici nolent in se suscipere 15.).

§. 6. Unde fundos proprios sub *Qualia* Imperatoribus Gentilibus primævam *habuit* Ecclesiam possedisse constat. *Cum Ecclesia Christiani quendam locum, qui publicus jam sub fuerat, occupassent, contra popinarij Impera- dicerent, sibi eum deberi, rescripsit A- toribus* LEXANDER SEVERUS, *melius esse, ut Gentili-*  
A 4                      quo- bus.

---

14.) *Ecclesia propter vestram parcitatem necesse habet, habere quæ nunc habet.* S. CHRYSOST. homil. 21. in 1. Epist. ad Corinth. quæ tota Homilia lectu dignissima est.

15.) *Dum forte, ut assolet, de possessionibus ipsis invidia Clericis fieret, alloquebatur (Augustinus) plebem DEI, malle se ex collationibus magis plebis DEI vivere, quam illarum possessionum curam vel gubernationem pati; Et paratum se illis cedere, ut eo modo omnes DEI servi Et Ministri viverent, quo in Veteri Testamento leguntur Altari deservientes de eodem comparticipari; sed nunquam id Laici suscipere voluerunt. Ita POSSI- DIUS in vita S. Augustini, cap. 23.*



quomodocunque illic DEUS colatur, quam popinariis dedatur 16.). Cum Paulus Samosatenus ab Episcopatu Antiocheno legitima Episcoporum sententia dejectus, ex Episcopi domo, ejus Ecclesiæ propria, exire nollet, Imperator AURELIANUS de ea re interrogatus, præcepit, ut domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ, & Urbis Romæ Episcopi per literas tribuendam præscriberent 17.). Postquam Diocletianus, tandem furori Maximiniani cedens, persecutionem in Christianos decreverat 18.), & Ecclesias spoliavit, DEO demum Christianorum rebus propitiato, Constantinus omnia, quæ ad Ecclesias pertinuisse probabantur, sive domus, sive agri, sive horti, vel si quæ sunt alia ejusdem generis, restitui per Edictum mandavit 19.).

§. 7.

---

16.) ÆLIUS LAMPRIDIUS in Alexandro Severo.

17.) EUSEB. Hist. Eccl. lib. VII. c. 30.

18.) De hac re vid. LACTANTIUS de Mortib. Persecutor. c. II. seqq.

19.) EUSEB. de vita Constantini lib. II. c. 39.

*De Bonis Tempor. Eccles.* 9

§. 7. Mirum est, quanta ex eo *Consul-*  
tempore Ecclesiis accesserint opum, *tum e-*  
virium & dignitatum incrementa. *rat, ut*  
Cum enim cresceret identidem mul- *ea po-*  
tudo Fidelium, eorumque nume- *stea au-*  
ro etiam Cæsares, Senatores, Viri- *geren-*  
que Clarissimi annumerari ambirent, *tur;*  
augeri etiam debuit numerus Mi-  
nistrorum, amplitudo ac magnifi-  
centia Templorum, ad ingeneran-  
dam hominibus reverentiam erga  
Divina Mysteria. Insuper multo-  
rum, qui se suaque obsequia Ecclesiis  
mancipabant, Zelus extendebat se ad  
utilissima officia pro Cultu Divino  
promovendo, pro instruendis omnis  
conditionis & ætatis hominibus, pro  
Evangelio in remotissimas Provincias  
invehendo, pro emolumento non tan-  
tum spirituali animabus, sed etiam cor-  
porali pauperibus, ægrotis, debilibus  
impendendo. Ad hæc omnia copiosi  
requiruntur sumptus & reditus, vel  
a Republica, in cujus utilitatem ce-  
dunt, supeditandi; vel a privatis  
exhibendi, qui Bona sua non alio-  
rum magis, quam Ecclesiæ ministe-  
rio ad optimos usus & emolumen-  
tum publicum dispensanda existima-  
bant. Quamvis autem Veteres do-

A 5 nationi;

nationibus suis certa onera non ad-  
junxerint, quod hodie plerumque  
feri solet: erant tamen Benefacto-  
res satis certi, liberalitatem suam  
pro Cultu Divino, subsidio Fide-  
lium, aliisque piissimis usibus, prout  
ocasio & necessitas tulisset, impen-  
dendam esse 20.)

*Adjecta  
etiam  
potestate  
secula-  
ri:* §. 8. Bona Ecclesiarum æstimabi-  
liora fiebant exemptione ab omnibus  
oneribus, censibus, publicis contri-  
butionibus: quæ exemptio non cen-  
sebatur præjudicare bono publico,  
cum cederet in subsidium pauperum,  
& usus toti populo utilissimos. Ac-  
cessit multis Ecclesiis potestas sæcu-  
laris: unde SOCRATES 21.) Nova-  
tianorum fautor jam Sæculo V. que-  
ritur, Cœlestinum Romanum, &  
Cyrillum Alexandrinum Episcopum,  
hoc dominatu in illos hæreticos u-  
sum esse. Accesserunt denique in-  
tegra Dominia, Principatus & Du-  
catus, præsertim in Germania no-  
stra

---

20.) Vid. Considerationes de Statu &  
Bonis Ecclesiasticis sub nomine NOR-  
BERTI AGATHANDRI.  
21.) Hist. Eccles. lib. VII, c. 7. 13.

stra 22.), adeo ut Episcopi & Abbates non solum potentia sæculares Principes æquarent, & dignitate præcederent: sed etiam Nobiles Vasallos, concessis in Feudum prædiis, ad defensionem & obsequia obstrictos Ecclesiæ tenuerint 23.). Quanto Cultus Divini emolumento id factum sit, tum præcipue patuit, quando plures sæculares Principes se, suasque Regiones in hæresin præcipitarunt; plerique autem Ecclesiastici avitam Religionem in suis Provinciis intactam conservarunt: & illi præcipue, qui in eligendo Romanorum Imperatore jure suffragii potiuntur, hucusque prohibuerunt, ne alius, quam Romano-Catholicus ad istam Dignitatem eveheretur.

§. 9.

---

22.) THOMASSINUS Vet. & nov. Eccles. Discipl. part. 3. lib. 1. c. 27. seqq. enarrat Principatus & Ducatus, Ecclesiæ datos per varia sæcula. Vid. D. BARTHEL Tom. I. Opuscul. IV. Regale Sacerdotium &c.

23.) Ecclesiasticorum sæcularia dominia tuetur OTTO *Frisingensis* in Prolog. ad lib. IV. Chronici.

*Frustra  
ringen-  
tibus  
malevo-  
lis.*

§. 9. Sentiunt his temporibus multi, quod ad initium sæculi XVI. sentiebant turbulenti homines, quando seditiosi contra legitimos Magistratus Rustici, suæ felicitati opes Clericorum obstare credebant 24.), rati, aurea sæcula reditura, si Ecclesiasticis sua Bona adimerent. Cum tamen experientia postea testatum fecerit, pauperibus plus nocuisse, quam profuisse, quod Bona Ecclesiastica fuerint profanata, & in manus magis rapaces, vel tenaces devoluta 25.).

*Horum  
Bono-  
rum do-*

§. 10. Quæri solet, penes quem sit dominium Bonorum temporalium Ecclesiæ? Non agitur hoc loco de Rediti-

24.) Qui conspiraverant, hanc mutæ agnitionis tesseram habebant, ut si quis ejus foederis esset percontatus ab alio: *vvas istis nun für ein Wesen?* interrogatus responderet: *vvir mögen vor den Pfaffen nicht genesen.* Vid. Monumenta rediviva Wirtemberg. Fol. 296.

25.) Vid. liber a Clar. P. DESING editus, cui titulus: *Opes Sacerdotii num Republicæ noxiæ? ex rerum natura, sana Politica, & communi sensu Generis humani examinatum.*

*De Bonis Tempor. Eccles.* 13

Reditibus in sustentationem Cleri-<sup>minium</sup>  
corum, vel pauperum jam distribu-<sup>penes</sup>  
tis aut perceptis: sed de rebus sta-<sup>quem</sup>  
bilibus, sive immobilibus, ac etiam<sup>fit?</sup>  
de mobilibus singulariter ad stabilem  
sacrum usum Ecclesiæ destinatis, de  
Reditibus quoque nondum per-  
ceptis, aut in communi interim as-  
servatis, donec distribuantur. Ha-  
rum rerum dominium communiter  
dicunt 26.), esse penes DEUM seu  
Christum, cum Concilium Triden-  
tinum 27.), & sacri Canones 28.)  
eas *DEI esse & Patrimonium Christi* ap-  
pellent: huic enim, vel ejus intuitu  
Ministris Ecclesiæ, tanquam ejus  
Procuratoribus & Dispensatoribus  
donan-

---

26.) NAVARRUS tract. de Redit. Eccles.  
q. 1. monit. 40. item q. 3. monit. 31.  
n. 7. Item Apolog. q. 1. monit. 24.  
impugnans FRANCISCUM SARMIENTO  
de Reditib. Eccles. part. 1. c. 1.  
n. 15. & part. 4. c. 6. Vid. SUAREZ  
Defens. Fid. Cathol. lib. 4. c. 18. n.  
7. seq. DEL BENE de Immun. Ec-  
cles. part. 1. c. 5. dub. 1. sect. 5.

27.) Sess. 25. c. 1. de Reform.

28.) C. 16. de Præbend. c. 34. de Elect.  
in 6.

14 Sect. III. Tit. I. de Bonis &c.  
donantur ac offeruntur 29.) Alii  
dicunt, Ecclesiastica Bona esse sub  
humano dominio Ecclesiæ particula-  
ris, aut universalis, id est, Cor-  
poris mystici sub Christo Capite 30).  
Quidquid in hac re, quæ multum  
habet de nomine, dicatur; quoad  
usum tamen ac effectum civilem,  
& actiones, quibus Bona vel ac-  
quiruntur, vel retinentur, Eccle-  
sia potest considerari tanquam per-  
sona ficta, ad modum hæreditatis  
jacentis, cui omnia jura compe-  
tunt, quæ aliorum dominorum  
sunt propria.

## TITU-

---

- 29.) BOEHMERUS tom. I. Consult. p. 1.  
arg. 4. n. 68. fol. 84. affert fragmen-  
tum Diplomatis Foundationis Ecclesiæ  
Verdenfis & Bremensis Caroli M.  
ex SCHATENIO in Annal. Paderborn.  
P. I. p. 3. ubi Decimæ donantur Do-  
mino nostro *Jesu Christo & Sacer-*  
*dotibus ejus*, id est, Episcopis.
- 30.) TURRECREMATA ad C. videntes.  
16. XII. q. 1. art. 2. CAJETAN. in 2.  
2. q. 43. art. 8.

TITULUS II.  
DE OBLATIONIBUS

*Confer. ex lib. 3. Decretal. tit. 30.*

§. II.

PRIMUM & perennem Bonorum Oblationum suorum fontem habent Ecclesie *num* in Oblationibus Fidelium, qui ex suo patrimonio exhibent supremo Numini devotas hostias, Ministris Ecclesie grati animi monumenta, pauperibus pignora charitatis. Oblatio generaliter sumpta dicit alicujus rei non petite spontaneam largitionem: quæ si homini fiat, Donatio nominatur. Oblatio autem hoc loco est earum rerum, quæ a Fidelibus in usum Ecclesie DEO consecrantur. Distinguiamus hodierno more Oblationes a Decimis, aliisque Censibus: Oblationes enim citra ullam in quantitate aut specie determinationem a beneplacito offerentium dependere solent; cum vicissim Decimæ & Census partim ex jure, partim ex consuetudine ad certam quotam & speciem determinentur. Quoad finem autem a Fidelibus intentum, & usum Sacris Canonibus con-



conformem, nullum est omnino discrimen inter Decimas, Census Ecclesiæ, aliasque Oblationes.

*Varia genera.* §. 12. Varia hodie sub nomine Oblationum veniunt: I. Quæ sub celebratione Missæ Altari imponuntur. II. Quæ ipsi Celebranti, ut fructum Missæ ad certam intentionem applicet, in stipendium vitæ conceduntur. III. Quæ post administrata Sacramenta, aut alias functiones Pastorales populus offerre solet. IV. Quæ in truncos ad colligendas populi largitiones expositos immittuntur. V. Quæ circumeuntibus per Ecclesiam, & Eleemosynam colligentibus dantur. VI. Quæ quovis modo, in carnibus, ovis, butyro, lino &c. in usum Ministrorum Ecclesiæ vel pauperum, in ipso Templo ponuntur, vel a Clericis aut Ædituis ostiatim colliguntur. VII. Quæ in Oratoriis vel Sacellis, in quibus Imagines beneficiorum fama celebres, vel Sanctorum Reliquiæ quiescunt, a visitantibus offeruntur. Hæ omnes Oblationes plerumque in modica quantitate consistunt: majori autem consideratione dignæ sunt VIII. Oblationes ultra quotidianam

nam consuetudinem ex liberalitate Patronorum, Principum aut Potentiorum facta.

§. 13. Quæ primo loco sunt memorata, Oblationes tempore Sacrificii Aræ imponi solita, consistebant primis sæculis in Pane & Vino, in Corpus & Sanguinem Christi consecrando 31.) : ut enim populus ad incruenti Sacrificii Oblationem se concurrere ostenderet, suam unusquisque partem, ex qua rursus parti-

B

tici-

---

31.) Quando S. Gregorius Eucharistiam porrigebat Matronæ, ridebat hæc, quod Pontifex Corpus Dominicum esse perhiberet panem, quem ipsa confecerat: miro autem eventu monstravit DEUS, non amplius panem, sed carnem Christi esse. JOANNES Diaconus in Vit. Gregorii M. l. 2. c. 41. PASCHASIUS RABBERTUS de Corpore & Sanguine Domini c. 14. in Collect. Vet. Script. Edmundi Martene tom. IX. Concilium CARTHAGIN. III. cap. 24. ann. 397. constituit, ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aqua mixtum.

De Jure Rev. Eccles. Pars poster.

ticiparet, offerebat 32.) : aliorum autem Oblationes ad Altare admiffæ non fuerunt, quam eorum, qui Communionis cum Ecclesia confortes essent: qui vero excludebantur a Communionem Corporis & Sanguinis Christi, iidem etiam exclusi censebantur ab Oblationibus 33.) : quorum autem Oblationes susceptæ fuerant, eorum nomina ex Diptychis recitabantur ex Ambone inter Missarum solennia 34.). Hoc etiam intuitu Orationes, quæ *Secretæ*, vel *super Oblata* dicuntur, plerumque afficiunt hostias tam a Sacerdote, quam a Populo oblatas 35.).

§. 14.

32.) Unde S. CYPRIANUS libr. de opere & Eleemos. reprehendit Matronam divitem, quæ in Ecclesiam sine Sacrificio veniret, & partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, fumeret.

33.) Juxta Concil. CARTHAG. IV. c. 93. & 94. ann. 398. Oblationes dissidentium Fratrum neque in Sacratio, neque in Gazophylacio recipiantur: eorum qui pauperes opprimunt, dona a Sacerdotibus refutanda.

34.) INNOCENTIUS I. Papa Epist. 29,

35.) Dominica V. post Pentecost. *Secreta* post Offertorium Oratio ita sonat: *Propitiare, Domine, supplicationibus nostris*

§. 14. Postquam numerus Com-  
municantium imminutus, numerus *Vel sal-*  
autem Missarum auctus fuit, desiit *tem tem-*  
mos offerendi panem, qui in Cor-  
pus Christi consecraretur: offere-  
bantur autem Nummi, ad usum Sa-  
crificii impendendi; aut colligeba-  
tur farina, ex qua nitidiores & can-  
didiores formulæ opera Clericorum  
conficerentur 36.) Nihilominus  
B 2 mul-

---

*nostris: Et has Oblationes famulorum,  
famularumque tuarum benignus assume:  
ut quod singuli obtulerunt ad honorem  
Nominis tui, cunctis proficiat ad salutem.*

36.) Vid. Synod. TOLET. XVI. c. 6.  
Ann. 693. Capitular. THEODULFIC. 5.  
& 6. Ann. 797. Unde inferunt aliqui,  
etiam in Ecclesia Latina pro Euchari-  
stia adhibitum olim panem fermenta-  
tum, saltem promiscue cum Azymo:  
folius autem Azymi continuum usum  
invectum, quando panes mundiores  
& nitidiores Clericorum manibus fie-  
bant. Ita sentiunt JACOBUS SIRMON-  
DUS, Card. BONA Rer. Liturg. lib. 1.  
c. 23. HONORATUS TOURNELY Theol.  
tom. 3. de Sacram. Euch. Econtra  
MABILLONIUS & CHRISTIANUS LU-  
pus Oper. tom. 4. Dissert. de Actis  
S. Leonis IX. c. 7. seqq. contendunt,  
Azymi panis usum ab Apostolicis tem-  
poribus in Ecclesia Latina nunquam  
inter-

multis in Ecclesiis viget adhuc consuetudo, offerendi panes & vinum tanquam symbola charitatis & unionis, in usum Ministrorum Ecclesiae & pauperum 37.). Ex usu autem offerendi Nummos ad Altare, orta est demum consuetudo porrigendi dena-

---

interruptum fuisse. Utriusque opinionis argumenta recenset NATALIS ALEXANDER Hist. Eccl. sæculi XI. & XII. Dissert. II. art. 3. Constat ex Concilio FLORENTINO, valide consecrari in Azymo & fermentato: adhibendum esse in utralibet Ecclesia Panem, quem postulat mos illius Ecclesiae: impie Græcos fulminare Anathema in Latinos ob usum Azymi. Vid. BARONII Annal. tom. II. ubi ad Ann. 1053. & 1054. varia recenset acta inter Leonem IX. Pontificem, & Michaëlem Cerularium Patriarch. Constantinop. ad calcem autem Tomi adjungit Dialogum HUBERTI Cardinalis de Azymo & Fermentato. Add. supra Sect. II. §. 215.

37.) Distingui solent Oblationes & Panes: scilicet per Oblationes intelliguntur panes illi modici, candidiores pro Eucharistia; per panes intelliguntur alii panes pro pauperibus. Ex utrisque conficiebantur Eulogiæ. THOMAS. p. 3. l. I. c. 24. n. 7. ubi allegantur alii Auctores.

denarios ante vel post Sacrificium Sacerdoti, qui pro offerente specialiter Missam celebraret (supra Sect. II. §. 243. 244.). Retentus est etiam in variis Ecclesiis mos distribuendi panem benedictum, sicut alias distribuiebantur Eulogiæ, decisæ ex panibus pro Consecratione destinatis (supra Sect. II. §. 392.). Præterea semel quolibet anno offerebatur ad Altare Mel & Lac, eo tempore, quo Baptismo initiabantur Catechumeni, & degustare jubebantur Mel & Lac, velut symbola Innocentiæ Christianæ, ejusque suavitatis, qua exhilarandi essent, ingressi in Ecclesiam, utpote terram vere olim promissam, nunc per Baptismum repræsentatam. Quamvis autem ista & similia postea ad Altare offerre non licuerit (38.), ne ex sinistra quorundam intentione speciem veri Sacrificii habere vide-

B 3 ren-

---

38.) Can. 3. Apost. *Si quis Episcopus vel Presbyter, præter Domini de Sacrificio ordinationem, alia quedam ad altare attulerit, vel Mel, vel Lac. . . deponatur.* Item Can. 57. TRULL. *Quod ad Altare Mel & Lac offerre non oportet.*

rentur, privatim tamen offerebantur & acceptabantur, uti etiam oleum ad luminaria & Incensum ad usum Sacrificii 39.).

*Alie  
maiores  
ad alienos  
Ministros  
& Pauperes.* §. 15. Alia Oblationes ad usum Ministrorum, aut pauperum, erant liberalissima: præibantque Reges & Imperatores exemplo suo. Etiam Ethnici Imperatores admirabantur & fovebant pios hos usus, uti legimus de liberalitate M. Aurelii Imp. in Christianos propter Abercium Episcopum 40.). Facile inde conjicimus, quam profusi fuerint Imperatores Christiani. Constantinus constituit annuam distributionem frumenti in viduas Lybiæ & Ægypti, cujus Administrator esset Episcopus Alexan-

---

39.) Can. 3. Apost. cit. qui etiam uvas offerre permittit: postquam autem consuetudo invaluit, ut succus ex uvis in calicem exprimeretur, simulque cum Sanguine Christi populo distribueretur, improbatum est iste mos in Can. 28. Trullano, solumque permittum, ut uvæ non in usum Sacrificii, sed cum aliis Primitiis frugum in usum Clericorum cederent.

40.) Vid. BARONIUS ad ann. 163.

Alexandrinus : Constantius autem eam curam Arianis delegavit 41.). Idem Constantinus immensam quantitatem frumenti ad sustentationem Virginum dedit, revocatam a Juliano Apostata, a Joviniano ex parte tertia restitutam 42.): Ecclesiis autem Lybiae constituit frumentum ad alendos pauperes, & incruentum Sacrificium 43.). Manuel Comnenus offert auri Centenarium 44.). Aliorum etiam Oblationes adeo fuerunt notabiles, ut invidiam moverint apud Gentiles. Unde Ammianus Marcellinus 45.), homo Ethnicus nimium exaggerat Romanorum Pontificum ambitum & luxum ex Oblationibus Matronarum. Id facile concesserim, ingentem opum

B 4 vim

---

41.) S. ATHANAS. Apolog. contra Arianos. 2. circa finem.

42.) THEODORET. l. 2. c. 2. l. 4. c. 4. SOZOMENUS l. 1. c. 8. l. 5. c. 5.

43.) Concil. CHALCEDON. act. 3. ubi de rapacitate Dioscori conqueritur Ischyron.

44.) CINNAMUS in vita Manuelis lib. 2. ad initium. THOMASS. p. 3. l. 1. c. 15. n. 3.

45.) Lib. 27.



vim in Ecclesia Romana ex piorum Oblationibus coacervatam, pro a-  
lendis Clericis, & pauperibus pene  
innumerabilibus 46.), non solum  
Romæ degentibus, sed missis etiam  
in Metalla, aut alibi incarceratis: cer-  
te magnam liberalitatem exserere  
volebat Victor II. qui Sæculo XI.  
Humberto concessit Oblationes duo-  
rum dierum 47.). Præterea offere-  
bantur a Principibus & Nobilibus  
multa Mancipia seu homines pro-  
prij, quorum servitus in eo potissi-  
mum stabat, ut singulis annis, præ-  
ter operas quorundam dierum 48.)

Cen-

---

46.) PRUDENTIUS Peristephanon hymn.  
2. Judicem, qui credebat Oblationes  
has solícite conservari, inducit lo-  
quentem ad S. Laurentium: *Tunc  
cura summa est. Fratribus, ut sermo  
testatur loquax, OFFERRE fundis ven-  
ditis sestertiorum millia.*

47.) THOMASS. p. 3. l. I. c. 15. n. 1.  
HARDUIN. Collect. Concil. tom. 6,  
p. 1. col. 1037.

48.) CONC. MELDENS. ann. 845. Can.  
62. *Servi Ecclesiarum, quibuscunque  
potestatibus subditi . . . saltem viginti  
diebus in anno, eidem Ecclesie ad re-  
ficien-*

Censum quendam pecuniarium præstarent Ecclesiæ 49.) : & jus Mortuarii post mortem 50.). De Oblationibus Villarum, Prædiorum, & Ditionum ad usum Ecclesiarum & Monasteriorum factis, innumera pro-

B 5 stant

*ficiendas ipsius ruinas absque molestia servire sinantur &c.* De Servis Ecclesiarum vid. GONZALEZ ad c. 4. de Rer. permut.

49.) In libello Sæculo XII. scripto, continente Mancipia Ecclesiæ in Münchsmünster oblata, primo loco legitur: *Divina gratia favente Otto Rex tradidit cum manu duorum Henrici & Wolframmi unam ancillam Adalsvindam nomine ad Sanctum Petrum. Isti sunt testes in conspectu Regis per aures traditi, Engilpo, Rutpreth, item Rutpreth. Deinde præcepit idem Rex Otto cuidam nobili Viro nomine Aripin, ut ille presentaret eam ad ipsum Altare, quod illa per singulos annos & filii ejus redderent unam tremissam ad supraddictum Altare, quando nubarent, & ex ipsis degent. Adstant testes &c.* Tremissis est tertia pars Assis, seu quatuor denarii. Vid. LINDEBROGUS & DU CANGE in Glossario.

50.) De ejusmodi hominibus propriis videantur Scriptores, qui antiquum Jus Germaniæ explicant. MAGERUS de Advocat. armat. Cap. 6. n. 730. seqq.

ENGAB

stant exempla in libris illis, qui vel Diplomata colligunt, vel Episcopatum ac Monasteriorum Historiam recensent 51.)

*Non  
omnium  
Oblationes  
suscipiuntur:*

§. 16. Honori sibi ducebant Fideles, si eorum Oblationes susciperentur; intendebatur enim potius dantium salus, quam accipientium utilitas: & sicut supra §. 13. dictum est de Oblationibus ad Eucharistiam conficiendam & sumendam Altari impositis; ita etiam Oblationes ad ædes Presbyteri vel Episcopi delatæ, aut  
in

---

ENGAU Elem. Jur. Germ. lib. 1. tit. 3. NICOL. HERTIUS Vol. 1. tom. 2. Dissert. de Hominibus propriis. Clariss. D. Collega, BENEDICT. SCHMIDT Princ. Jur. Germ. tit. 7.

51.) Supra Tit. I. §. 7. LUNIG, MABILLONIUS, MARTENE, HUNDIUS, Collector Documentorum Redivivorum in Wirtembergia: GRETSERUS de Liberalitate Principum in Ecclesiam Romanam; & omnes, Monasteriorum aut Episcopatum Historiographi, alibi nominati. De Oblatione omnium Bonorum agit MARIANUS SOCINUS Senior Tract. de Oblationib. libell. 8. Totus tractatus est lectu dignissimus, insertus Tract. Tract. tom. 14.

in Gazophylacio factæ, signum sunt  
Communione cum aliis Fidelibus.  
Circa annum 170. Marcion in Eccle-  
sia Romana fecit magnam Oblatio-  
nem, sed quia fovebat quasdam opi-  
niones hæreticas, pulsus est ex Ec-  
clesia, & restituta pecunia oblata,  
cum Ecclesia se contaminari crede-  
ret Oblatione hæretici. Nam juxta  
S. EPIPHANIAM 52.) Ecclesia Oblatio-  
nes accipit a non injustis, neque iniqua  
agentibus, sed a juste viventibus. Libe-  
rius Papa respuebat munera Constan-  
tini Imperatoris: cumque ea in Tem-  
plo S. Petri Altari essent imposita,  
increpito Custode Templi, quod id  
non prohibuisset, dona illa, ut vi-  
ctimam illicitam projecit Ponti-  
fex 53.). Cum etiam Monachis mit-  
terentur Oblationes, S. Menas di-  
gnoscebat Oblationes viri scelerati  
ab aliis & rejiciebat 54.). Imo Gre-  
gorius VII. 55.) prohibet Oblatio-  
nes fieri in Ecclesia Aniciensi, donec  
Stepha-

---

52.) Contra Hæreses in fine.

53.) S. ATHANAS. Epist. ad Solitar. fol.  
300. seq.

54.) S. GREGOR. M. Dialog. l. III. c. 26.

55.) Lib. IV. Epist. 19.

Stephanus Episcopus discederet. Nihilominus suadet Prudentia, rigorem Canonum ob temporis & personarum conditionem nonnunquam temperare. Unde S. Basilius suscepit Oblationes Valentis Imperatoris, qui fovebat Arianos, & insectabatur Catholicos (56.). Displicuit etiam Gregorio M. quod Syracusanus Episcopus Oblationes respuisset Patritii Venantii (57.). S. Theodosius Cœnobiarcha juxta Hierosolyman suscepit Oblationes, quibus eum Anastasius Imperator in suæ impietatis partes trahere volebat (58.).

§. 17.

---

56.) GREGOR. NAZIANZ. Orat. 20.  
THEODORET. lib. IV. c. 17.

57.) Lib. V. Epist. 42. 43.

58.) Addit Vitæ Autor apud BOLLANDUM in Actis SS. ad diem II. Januar. c. II. §. 48. fol. 694. *Aurum quidem non repellit, ne forte videretur temere suspicari, & offensionis aliquam præberet occasionem; sed duplici damno afficit Adversarium, simul quidem privans pecuniis, cum esset alioqui avarus; & simul etiam spem vnam & inanem ostendens, qua ducebatur, & que nihil habebat ad scopum pertingens.*

§. 17. Pœnitentes quidem aliquo modo per tempus segregabantur ab aliis Fidelibus: nihilominus Oblationes eorum nomine factæ jubentur suscipi, quos labente adhuc pœnitentiæ tempore, nondum reconciliatos mors inopinata sustulerit (59.); nam Oblationes etiam fiebant pro mortuis (60.): & Sacri Canones graviter invehuntur in eos, qui Oblationes defunctorum in ultima

59.) Conc. VASENSE c. 2. Anno 442.  
Conc. CARTHAG. IV. Ann. 398. c. 79.  
item Capitul. lib. V. c. 130.

60.) Mulier offerebat pro viro captivo, quem credebatur mortuum; & hic illis diebus solutus erat vinculis. S. GREGOR. M. Hom. 37. in Evang. tom. 3. col. 134. Oblationum pro mortuis exemplum habemus in Testamento S. Remigii, si tamen authenticum sit, apud FLODOARD. Hist. Remens. l. 1. c. 18. Sanctus iste Episcopus, paternis bonis abundans, partem hæreditatis Ecclesiæ suæ Remensi, & insuper pinguissima prælegata reliquit, Nepoti etiam suo Agathemero vineam donavit, sub ea conditione, ut omnibus diebus festis & Dominicis, pro commemoratione mea sacris Altaribus offeratur Oblatio, & Presbyteris atque Diaconibus annua convivium, concedentis DEO, præbeantur.

tima voluntate relictas detinebant, & hac ratione defunctos Communionem Ecclesie, pauperes autem subsidio privare audebant 61.). Eorum etiam defunctorum Oblationes recipiendae alicubi statuuntur, qui pro crimine fuerunt occisi 62.): alibi ab Oblationum Communionem excluduntur 63.): non autem recipitur Oblatio pro eo, qui sibi ipsi violentas manus intulit 64.).

*Oblatio- nes reci- piendi Mos ve- tus:* §. 18. Circa modum offerendi, sequentia notanda sunt. Quando Oblatio fiebat in Templo, plebs tamen in Sanctuarium ad Altare penetrare non permittebatur, solo Imperatore excepto 65.). Subdiaconi obviam

61.) Cit. Conc. VASENSE c. 4. ET CARTHAG. IV. c. 95.

62.) Conc. AURELIAN. II. can. 15. MOGUNT. Ann. 848. c. 27.

63.) Conc. BRACHAR. c. 16. ubi etiam rejiciuntur Oblationes Catechumenorum. Pro utraque disciplina dantur rationes congruae. THOMASS. p. 3. l. I. c. 13. n. 10.

64.) Capitul. lib. VI. c. 70. & lib. VII. c. 442. item Addit. IV. c. 81.

65.) Constantinopoli admittebatur Imperator ad Presbyterium: non tamen Mediolani, ubi S. Ambrosius id non permisit.

*De Oblationibus.* 31

viam procedebant, Fidelium Oblationes accipiebant, & ad Diaconum deferebant, a quo Altari imponebantur 66.). Ordo Romanus describit modum colligendi Oblationes cum Fanonibus candidis 67.).

§. 19. Quod decebat sponte & liberaliter fieri, & forte a multis negligebatur, demum stricte exactum est 68.). Optabatur quidem, ut quotidie fierent 69.): saltem singulis diebus Dominicis exigebantur 70.): aut quatuor præcipuis Festis 71.). Post Concilium Tridentinum

*Et caute no-  
ve.*

---

66.) ISIDORUS Origin. lib. 7. c. 12.

67.) Ordo Romanus mox ab initio sub Rubrica de Ordine Processionis. De Fanonibus vid. Du CANGE Glossar. V. Fanon. qua voce denotatur mappa, Sindon, ex Germanico *Fahnen*.

68.) Conc. ROM. Anno 1059. c. 5. Anno 1078. c. 12. In Anglia Anno 1256. & 1287. Can. 54. Conc. EXONIENS. item Concilia Galliae BURDIGAL. ann. 1255. c. 25. AD CASTRUM GUNTHERII ann. 1336.

69.) Capitul. lib. VI. c. 170.

70.) Capitul. lib. V. c. 371.

71.) Concil. COLON. Ann. 1536. part. 8.

c. 6. 7. item Ann. 1549. Can. 20. MORGUNT. Ann. 1549. Can. 75.



num novo fervore urgebantur Oblationes : propter irrepressas autem abusus varia cautela præscripta sunt, scilicet *caute* excitandos esse Fideles 72.) : alliciendos, non cogendos Laicos 73.) : cavendum, ne Eleemosynæ colligantur per puellas 74.).

*In Ecclesiis Parochialibus præ-* §. 20. Oblationes fieri solent in Ecclesiis Parochialibus 75.), & ad Parochum pertinere præsumuntur, nisi aliud constet de mente offerentium 76.). Id solum adverto, non impro-

---

72.) Conc. I. MEDIOLAN. Ann. 1565. Can. 62.

73.) Conc. TURON. Ann. 1503. Can. 14. TOLOSAN. Ann. 1590. VORCESTRENSIS Ann. 1240. ubi vituperantur Parochi, qui Fideles offerre compellunt, dum communicant.

74.) Conc. II. MEDIOL. Ann. 1569. Can. 24.

75.) Juxta Synodum EXCESTRENS. Ann. 1287. c. 54. Oblationes Pentecostales ad Ecclesiam Cathedralem comportandæ erant. In eadem Synodo, cap. 12. succidi jussi sunt trunci, seu Gazophylacia Laicorum in Ecclesias intrusa.

76.) De Oblationibus ad Imagines alicujus Sancti factis, utiles quæstiones examinat TROYLUS MALVITIUS Tract. de Oblationib. qui continetur Tract. Tract. tom. 14.



ri soleat, indecorum sane videtur, si Parochus simul stipendium, simul etiam Oblationes recipiat. Dubitari hoc loco potest, an Parocho Oblationes cedant, factæ sub Missa Vicarii, vel Sacellani ejusdem. Controversia circa hunc Articulum aliquando orta est inter Goffridum Abbatem Vindocinensem, & Episcopum Santonensem 78.), & hac ratione decidenda videtur, ut Oblationes pertineant ad Vicarium, penes quem  
jure

---

78.) Vid. inter Epistolas GOFFRIDI lib. III. Epist. 40. scilicet Ecclesia Parochialis Surgeriarum incorporata erat Monasterio Vindocinensi, quod Parochiam illam per Vicarium administrabat. Episcopus igitur Oblationes Confessionum, quales in nostris terris tempore Paschali a Pœnitentibus dari solent, contulit Vicario Parochiali, ea ratione ductus, quod ille Oblationem Confessionis habere debet, cui Pœnitens confitetur. Reponit Abbas, simili ratione judicari debere, ut Oblationem Altaris habeat, a quo Missa cantatur: Et Oblationem mortui, a quo mortuus sepelitur: Et sic Minister noster totum accipiat, ut nihil Oblationum in Ecclesiis, quibus die ac nocte servimus, nobis relinquat.

jure perpetuo est totum exercitium  
Curæ animarum : secus vero si Vi-  
carius ad nutum sit amovibilis, &  
Cura animarum non tantum habi-  
tualiter, sed etiam actualiter resi-  
deat in Parocho. Hoc teneri po-  
test de Jure communi, ubi non  
constat de contraria consuetudine,  
vel de alia offerentium voluntate.

§. 21. Postquam Regulares aliqui *In Ec-*  
*clesiis* institutione sua & Bullis Pontifi-  
cum adgregati sunt ad Hierarchicas *Regula-*  
functiones; Oblationes quoque tum *ribus pro*  
privatim, tum inter sacra admitte-  
bant, quod novum & intolerandum *Religio-*  
videbatur Prælati, qui tamen a Gre-  
gorio IX. ab ejusmodi gravaminibus  
desistere jubebantur 79 ). Si enim  
Oblationes dividendæ sunt inter pau-  
peres, æquius est, ut concedantur  
illis, qui paupertatem Christi spon-  
te sequuntur, simulque juxta Statu-  
ta sua se dicant sublevandis Parochis.  
Plurimum recedunt illi Episcopi, qui  
non tantum Ecclesiastica, sed etiam  
Politica sua potestate utuntur, vel  
potius abutuntur ad impediendas

C 2 Ob-

---

79.) C. 16. & 17. de Excessib. Prælat.

Oblationes, quas nonnulli Cœnobiis facere intendunt, ut merito innovari deberent dictæ Constitutiones Gregorii IX.

**TITULUS III.**  
**DE ORIGINE, NATURA ET**  
**DIVISIONE DECIMARUM.**

*Conf. ex lib. 3. Decretal. tit. 30. Sext. tit. 13. Clement. 8. Extrav. Com. tit. 7.*

§. 22.

*Decimarum varia genera.* **I**NSIGNEM locum inter Oblationes Fidelium merentur *Decimæ*: ipsa vox ostendit, intelligi per eas Decimam partem illius rei, ex qua Decimæ pendendæ sunt. Varia apud Veteres Decimarum fuerunt genera. *Vir & uxor inter se matrimonii nomine Decimam capere poterant 80.)*. Decima pars litis a temere litigantibus præstanda erat 81.). Antiqua lex Babylone

---

80.) Ex Corpore ULPIANI Tit. 15. de Decimis. Quæ Lex abolita fuit L. 2. C. de infirm. poen. Cœlib.

81.) Lex hæc vetus in §. 1. Inst. de poena temere litig. abolita est: quamvis

*De Origine &c. Decimarum.* 37

lone erat, ut solveretur Decima pars omnium, quæ in eam urbem importarentur 82.). Qui in fundo privato lapides effodiunt, unas Decimas Fisco, alteras Domino fundi præstant: reliquum ipsi pro suo labore habent 83.). *Decimas* frugum & animalium, quas Dominicales dicimus, fuisse olim per modum tributi Principibus solutas, sat notum est. Huc respicit Samuel Propheta, ad populum de Regis jure differens 84.). Has in Gallia olim viguisse, colligimus ex Constitutione CLOTHARII

C 3                      Regis

---

vis autem postea Novell. 112. c. 2. videatur Lex ista innovari; obtinuit tamen semper, & hodie obtinet abolitio in Institutionibus posita.

82.) Lex ista nunquam executioni mandata fuerat ante Alexandri M. tempora: Antimenes autem ab hoc Rege viis circa Babylonem præfectus, legem inopinato innovavit, hacque occasione magnam pecuniæ summam congeffit. ARISTOTELES lib. II. Oeconom. c. 1. art. 2. n. 34.

83.) L. cuncti. 3. C. de Metallariis &c.

84.) *Segetes vestras & vinearum redditus addecimabit, ut det Eunuchis & famulis suis ... Greges quoque vestros addecimabit.* 1. Reg. VIII. 15. 17.

Regis circa Annum 560. ubi Ecclesiæ a Decimis Fisco Regio pendendis ex singulari beneficio eximuntur 85.). Sicut autem Fiscus Regius, ita etiam alii Nobiles & Duces recipiebant Decimas a subditis, quas simul cum fundis in Feudum a Rege concessis, jure beneficiario tenebant, solvendas per modum tributi ex bonis juxta *formam Censualem* æstimatis 86.). Aliæ Decimæ sunt, quæ nonnunquam in gravi necessitate Reipublicæ exiguntur a subditis, vel imponuntur Reditibus Beneficiorum ac Monasteriorum, autoritate Summi Pontificis 87.). Ad tristius Decimarum genus pendendum condemnabantur seditiosæ, vel ignavæ Militum Legiones, ex quibus Decimus quis-

---

85.) *Agraria, pascuaria, vel Decimas porcorum, Ecclesiæ pro fidei nostræ devotione concedimus, ita ut actor aut decimator in rebus Ecclesiæ nullus accedat.*  
Corp. Jur. German. m. Col. 468.

86.) L. 4. ff. de Censib.

87.) Hæ rationem subsidii Charitativi habent, de quo infra Tit. 12. Ut Ecclesiast. Benef. sine dimin. confer.

*De Origine &c. Decimarum.* 39

quisque ad supplicium forte legebatur 88.). Istis omiffis

§. 23. Per Decimas hoc loco intelligimus eam fructuum & emolumentorum partem, quæ Supremo Numini offertur. Naturalis enim ratio suadet, ut ex iis, quæ DEUS nobis confert, ad ejusdem Cultum aliquid referamus, tum ut gratos nos pro collatis bonis exhibeamus; tum ut Supremum DEI Dominium in omnes res creatas profiteamur. Cum autem ad Cultum Numinis, & Populorum salutem summopere conducat, ut publici Sacrorum Ministri constituentur, publicisque sumptibus alantur; primum fuit statuere, ut sumptus isti ex iis, quæ DEO offeruntur, desumantur. Quanta autem pars bonorum ad hos fines destinanda sit, naturalis quidem ratio non determinat, miro tamen

C 4            omnium

---

88.) Severas has Decimas exigebat Consul Romanus Appius Claudius apud LIVIUM lib. II. c. 59. Cæsar Caligula apud SÆTONIUM in Caligula n. 48. Domitius Calvinus apud DIONEM Rom. Hist. lib. 48. M. Antonius apud PLUTARCHUM in vita M. Antonii. fol. 683.



omnium Gentium consensu pars *Decima* Supremo Numini in Ministris suis offertur 89.)

*DEO  
sunt of-  
ferenda:*

§. 24. Exemplo aliis prævit *ABRAHAM*, qui de omnibus, quæ ex manibus quinque Regum eripuerat, *Decimas* dedit Sacerdoti *Melchisedech* 90.). Avum secutus Nepos *Jacob*, profecturus in *Mesopotamiam Syriæ*, pro felici reditu vovit, se *DEO* oblaturum *Decimas* omnium, quæ a Divina Bonitate esset acquiriturus 91.). Hanc *Decimæ* partis determinationem adeo gratam, ratamque habuit *DEUS*, ut eandem fructuum partem sibi a populo *Hebraico* offerri, severe per *Moysem* præceperit 92.): cumque *Levitis Decimas*

---

89.) Numerus Decimus juxta *Platonicos* est perfectissimus, quia continet omnes numeros inferiores: superiores autem numerantur per Decimum. *MARSIL. FICINUS* in *Argum. ad Dialog. X. Platonis de Republ.* aliique passim.

90.) *Genes. XIV. 20.*

91.) *Cunctorum quæ dederis mihi, Decimas offeram tibi. Genes. XXVIII. 22.*

92.) *Decimas tuas & Primitias tuas non tardabis reddere. Exod. XXII. 29.*

*De Origine &c. Decimarum. 41*

cimas pro ministerio assignasset, voluit, ut hi ipsi Decimam partem hujus portionis redderent Aaroni & filiis ejus Sacerdotibus 93.).

§. 25. Eadem fere est ratio *Pri- Ulti & Primi-*  
*mitiarum*, quo nomine solent intel- *Primi-*  
ligi primi fructus agrorum, vinea- *tiæ.*  
rum, olearum, &c. quos singulis  
annis percipimus, DEoque bono-  
rum omnium Largitori consecramus.  
Quantum autem *Primitiarum* nomine  
esset offerendum, non determina-  
batur in Pentateucho, sed arbitrio  
offerentium ab initio relictum fuisse  
videtur. Verum ob ingratum po-  
puli animum, & Sacerdotum ava-  
ritiam, Magistrorum deinde arbi-  
trio effectum esse tradit S. Hierony-  
mus, ut qui plurimum, quadrage-  
simam partem daret; qui minimum,  
sexagesimam 94.). De pecoribus  
C 5 ratio-

---

93.) *Cum acceperitis a filiis Israël Deci-  
mas, quas dedi vobis, Primitias earum  
offerte Domino, id est, Decimam partem  
Decimæ. Numer. XVIII. 26.*

94.) C. I. de Decim. ex Hieron. super E-  
zech. C. XLV. Quod enim hic Prophe-  
ta dicit: *hæ sunt Primitiæ, quas tolle-  
tis*

ratione Primitiarum unum datum esse ex ducentis, docent Interpretes 95.).

*Gentiles  
agnove-  
runt  
hanc ob-  
ligatio-  
nem:*

§. 26. Sicut dæmones ab infidelibus Gentibus Cultum Divinum sibi tribui gestiebant, ita etiam Decimarum Oblationem affectabant. Nihil frequentius in antiquis Autoribus occurrit, quam votum solvendi Decimas Herculi 96.), aut etiam aliis Diis 97.): nam universim *Decima*  
*qua-*

---

*tis: sextam partem Ephi de coro frumenti, & sextam partem Ephi de coro hordei &c.* id de parte sexagesima intelligit HIERONYMUS. Vid. BENED. ARIÆ MONTANI Thubal-Cain sive de Mensuris Sacris. EMMANUEL GONZALEZ, aliique Commentatores in C. I. de Decim.

95.) Hoc colligunt ex cit. loco EZECHIELIS: *& arietem unum de grege ducentorum.*

96.) PLAUTUS in Sticho Act. 2. scen. 2. v. 62. item in Truculento act. 2. scen. 7. PLUTARCHUS in vita Syllæ & M. Craffi. VARRO lib. V. de Lingua Lat. CICERO lib. III. de Natur. Deor.

97.) Camillus Dictator Vejos expugnaturus, *decimam partem prædæ* Apollini vovit. LIVIUS lib. V. c. 21. In Arabia  
Thuris

*De Origine &c. Decimarum. 43*

*quæque veteres Diis suis offerebant 98.). Unde etiam Ulpianus exacte tradit, quid juris sit, si Decimam quis bonorum vovit 99.). Eadem religione Ethnici offerebant Diis suis Primitias frugum. Certe Romani ne degustabant quidem novas fruges, aut vina, antequam Sacerdotes Primitias libassent 100.).*

§. 27. Ab iis, quæ Gentiles in Multo tenebris infidelitatis suæ malignis magis spiritibus, veri DEI æmulis præstiterunt, ad Lucem Evangelicam transplere desimus. Quamvis in hac Lege Evangelica Præceptum de Decimis non habeamus, nihilominus primi mox ni.

Fide-

---

Thuris alio avehendi Decimas Deo, quem vocant Sabin, Sacerdotes capiunt: nec ante mercari licet. PLINIUS Natur. Hist. lib. XII. sect. 32. Etiam Jupiter Prædator nuncupatus fuit, quod Veteres decimam partem prædæ illi devoverent. ALEXANDER ab ALEXANDRO Genial. dier. lib. III. c. 22.

98.) FESTUS de Verb. Signif. V. Decimæ.

99.) L. 2. §. 2. ff. de Pollicit.

100.) PLINIUS Natur. Hist. lib. XVIII. c. 2. Hunc morem observavit TIBULLUS lib. I. eleg. I.

*Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,  
Libatum Agricola ponitur ante Deo.*

Fideles, vel ex Judaismo, vel ex Gentilitate ad Christum conversi, non minorem liberalitatem, ac antea consuevissent, erga DEUM exhibuerunt. Testem habemus sæculo secundo IRENÆUM 1.), qui censet, majora offerre debere Christianos, utpote majorem spem habentes, quam antea obtulerant Hebræi, offerentes Decimas. Eadem doctrina imbuere Fideles conatus est Scriptor Constitutionum Apostolicarum, quisquis demum ille sit, certe antiquissimus 2.), & ORIGENES 3.), qui putat præceptum Legis Veteris de Decimis etiam juxta sensum literalem stringere Christianos, nec horum Justitiam abundare plus quam Pharisæorum, nisi eadem profusione Decimas omnium, quæ possident, DEO red-

---

1.) Advers. Hæres. lib. IV. c. 34.

2.) Lib. II. c. 25. 35. *Tametsi vos Deus a servitute ascitorum vinculorum liberavit... nondum tamen a pensionibus liberavit, quas Sacerdotibus debetis &c. &c. Quæ secundum Dei mandatum tribuuntur, Decimas dico & Primitias, insumat Episcopus, ut homo Dei &c.*

3.) In Lib. Numer. Homil. II.

De Origine &c. Decimarum. 45

reddant. Eandem doctrinam inculcant Canones ex Hieronymo, Augustino & Ambrosio apud Gratianum relati 4.). Ex his primorum sæculorum monumentis perspicuum fit, Decimarum in nova Lege mentionem, ac de iis solvendis doctrinam, non adeo recentem esse, ut quidam jactitant. Innumeris autem locis, sequentium sæculorum Patres & Concilia inculcant redditionem Decimarum & Primitiarum 5.).

§. 28. Inde lis orta est inter Theologos & Juris Canonici Interpretes, an in Lege nova detur Præceptum Divi-

Quamvis de præstanti

---

4.) C. 65. 66. XVI. q. 1. C. 4. ead. caus. q. 7. si ille fermo, ex quo allegatur dictus Canon. 66. non sit genuinus partus S. Augustini, saltem genuinus illius textus est in Enarrat. in Psalm. 146 n. 17. *Exime aliquam partem reddituum tuorum. Decimas vis? Decimas xime, quanquam parum sit: dictum est enim, quia Pharisei Decimas dabant. Ille super quem debet abundare Justitia tua, Decimas dat: tu autem nec villesimum das. Quomodo superabis eum, cui non equaris?*

5.) Vid. THOMASS. vet. & 107, discipl. Eccl. p. 3. lib. I, c. 4. seqs.

*dis De-*  
*cimis*

Divinum solvendi Decimas? Multi insignes Theologi docuerunt, Præceptum Divinum Decimarum in Legge nova non ligare Christianos. Cum autem populus hac doctrina abuteretur, & Decimas solvere recusaret, GREGORIUS IX. Pontifex 6.) graviter monet Fratres Prædicatores & Minores, ne talia, quæ audientes a Decimarum solutione retrahant, in sermonibus suis, vel alibi proponere de cetero præsumant. GREGORII Decreto, & verbis quorundam Canonum 7.), ac SS. Patrum 8.) scrupulosius inhæserunt Juris Canonici Interpretes, Divinamque Auctoritatem pro reddendis Decimis agnoverunt 9.).

§. 29.

6.) C. 1. de Decim. in 6.

7.) C. 47. XVI. q. 1. C. 2. ead. Cauf. q. 2. C. 1. ibid. q. 7. C. 14. 25. 26. 33. de Decim.

8.) Qui referuntur in Canonibus supra N 25. citatis, item C. 16. Dist. 5. de Consecrat.

9.) Eorum rationes refutat ADRIANUS Quest. quodlib. 5. sed nostris temporibus contra torrentem aliorum resuscitavit P. ANACLETUS REIFFENSTUEL ad lib. III. Decretal. tit. 30. n. 13. seqq.

*De Origine &c. Decimarum. 47*

§. 29. Tenent plurimi cum S. THO-  
MA IO.), Præceptum de solutione *Præ-*  
Decimarum, in Veteri Testamento *ceptum*  
partim fuisse *Morale*, inditum natu- *Veteris*  
rali ratione, ut necessarius victus *Testa-*  
præberetur iis, qui Divino Cultui *menti*  
ministrabant ad salutem totius po- *nos non*  
puli, sub qua ratione adhuc hodie *stringat;*  
naturali jure deberi Decimas Mini-  
stris Ecclesiæ existimant: partim *Ju-*  
*diciale*, institutione Divina intro-  
ductum, secundum conditionem Po-  
puli Hebraici, in duodecim Tribus  
divisi, ita ut Tribus Levitica Divi-  
nis Ministeriis mancipata, possessio-  
nes non haberet, & convenientissi-  
me sustentaretur ex Decima fructuum  
parte a reliquis Tribubus, quibus  
fere tantundem accrescebat ex por-  
tione terrarum, quæ absque hoc  
Divino Instituto Tribui Leviticæ  
sorte obtigisset. Sub hac autem ra-  
tione antiquum Præceptum Decima-  
rum ad nos in nova Lege non per-  
tinet, sed sola Ecclesiæ institutione  
impositum est II.). Unde Decima-  
rum

---

IO.) 2. 2. q. 87. art. I.

II.) De obligatione ad Decimas infra re-  
dibit sermo *Tit. V.*



rum nomine passim intelliguntur Oblationes ex fructibus & emolumentis pro Cultu Divino Ministris Ecclesiae solvendae, licet vel ex consuetudine, vel ex speciali Lege non solvatur determinate pars Decima, sed vigesima, aut alicubi etiam trigesima: imo deprehendimus, vocem *Decimarum* nonnunquam sumptam pro quovis Censu & Tributo 12.).

*Et in  
Nova  
Lege  
nullum  
detur:*

§. 30. Antiqui igitur Patres, qui Praeceptum Divinum agnoscunt, intelligendi sunt de portione aliqua congrua & conveniente fructuum, DEO in Ministris suis reddenda, quam demum Ecclesia ad portionem Decimam determinavit. Itaque Praeceptum Decimarum solet dici Divinum I. quantum ad substantiam, seu quantum ad obligationem conferendi aliquid ad Cultum DEI. II. Se-

---

12.) S. CYPRIANUS Epist. 66. dicit, quod Clerici in honore sportulantium fratrum, *tanquam Decimas* ex fructibus accipiant &c. id est, eo modo ex redditibus Ecclesiasticis sustententur, sicuti Levitae Veteris Legisalebantur ex Decimis.

*De Origine &c. Decimarum* 49

Secundum imitationem. III. Quia est tale in radice sua, utpote pendens ex potestate Divina spirituali & supernaturali data Ecclesiæ. IV. Quia est determinatio Juris Divini, dum Ecclesia præceptum Divinum conferendi aliquid ad Cultum DEI, determinat ad Decimam partem fructuum Ministris suis solvendam. V. Demum Juris Divini esse dicuntur Decimæ, sicut aliæ res Cultui Divino specialiter dedicatæ.

§. 31. Facile mihi persuadeo, pri- *Fideles*  
morum sæculorum Fideles, adhor- *tamen*  
tationibus SS. Patrum obsecutos, *vel spons*  
liberaliter & devoto animo præsti-  
tisse Decimas, quas Judæi solverant  
ex Divino Præcepto: languente po-  
stea fervore, & remittente liberali-  
tate, extimulandi, denique etiam  
Præceptis & pœnis urgendi erant ad  
reddendas Decimas, ne periclitare-  
tur sustentatio Cleri & Pauperum,  
aliaque pia opera, ad quæ fuerunt  
destinatæ. Unde in Gallia Episcopi  
Provinciæ TURONICÆ Anno 567. in-  
stantissime COMMONENT, ut *Abrahæ do-*  
cumenta sequentes, Decimas ex omni fa-  
cultate non pigeat DEO pro reliquis, quæ  
D possi-

*De Jure Rev. Eccles. Pars poster.*

possidetis, conservandis offerre. Paucis autem post annis Patres Concilii MATISCONENSIS II. Anno 583. STATUUNT ac DECERNUNT, ut mos antiquus a Fidelibus reparetur, & Decimas Ecclesiasticis famulantibus Ceremoniis populus omnis inferat . . . si quis autem contumax nostris Statutis saluberrimis fuerit, a membris Ecclesia omni tempore separetur. In Anglia, ubi jam monumenta Sæculi VII. obligationem Decimarum adstruunt 13.), eos qui Decimas non dederint, pœnis subjiciunt Leges illæ, quæ Sæculo X. a Regibus Anglorum & Danorum mutuo fœdere junctis, latæ sunt 14.), in Dania postmodum innovatæ & ampliata a S. CANUTO Rege Sæculo XI. 15.). In Russia WOLODIMERUS Prin-

---

13.) Capitula THEODORI Cantuariensis Archiepiscopi c. 24. & 30. Presbyteros & pauperes a Decimis dandis sæculo VII. eximunt; reliquos proin supplicant obstrictos. HARDUIN. Collect. Concil. tom. III. col. 1774.

14.) Dacus si Decimas non dederit, Legis violata pœnas solvito, Anglus multator. Ibid. tom. VI. col. 497.

15.) Fœtum Decimas ad Pentecosten solvito: terra fructuum Decimas reddito ad

*De Origine &c. Decimarum. 51*

Princeps ad finem Sæculi X. Baptifmo expiatus, cum Leone Kioviæ Metropolita Decimas de cunctis bonis ab omni sua gente pendendas fanxiffe scribitur (16.). In Palæftina quoque ufitatas fuiſſe Decimas, patet ex Controverfia Sæculo XII. ab Aconenſi Epifcopo ad Cœleftinum III. delata (17.).

§. 32. In Germania S. BONIFACIUS, *Vel ex* qui Diſciplinam Eccleſiaſticam in his *præcepto* Provinciis potiffimum ordinavit, *Eccleſiæ* ſanctiffimas Leges tulit de Decimis *præſta-* præſtandis, & rite impendendis. *bant* Contra eas Archiepiſcopus Mogun- *Deci-* tinus Sigefridus, confifus armis & *mas,* autoritate Henrici IV, Imperatoris,  
D 2 in

---

*Feflum omnium Sanctorum celebre &c.*  
Ibid. col. 899.

16.) SIGISMUNDUS DE HERBERSTEIN  
Rer. Moscovit. fol. 45. LE QUIEN O-  
riens Chriſtian. tom. I. De Epifcopis  
Kioviæ. m. col. 1261.

17.) C. ult. de Parochiis &c. Non tamen  
ubique in Oriente fuiſſe Decimas in uſu,  
videtur colligi ex modo loquendi, quo  
ibidem utitur Pontifex: *quodſi, . . . in*  
*ultra marinis partibus ratione prædiorum*  
*Decimæ perſolvuntur &c.*

in Thuringia, ubi multi immunitatem a Decimis prætendebant, Decimas ad se violente traxit, præcipue in præjudicium Monasterii Fuldensis & Hersfeldensis 18.) sæculo undecimo, ad cuius finem Othlonus Monachus Fuldensis Vitæ Bonifacianæ Scriptor, in Præfatione amare conqueritur, quod illa divisio & Destinatio Decimarum, quam Sanctus ille Præsul fecerat, præsertim ad pauperum & Monachorum sustentationem, non bene observetur. Spiritu S. Bonifacii repleti erant Præsules Germaniæ, qui Sæculo IX. varia Concilia celebrarunt, præsertim Salisburgi Anno 807. 19.), Moguntia

---

18.) Conciliabulum hac de re Erfurti habitum refert LAMBERTUS *Schaffnaburgensis* Annal. ad Ann. 1073. & Harduin. Conc. Tom. VI. p. 1. col. 1191. seqq.

19.) In hoc Concilio Provinciali referente BRUNNERO Annal. Boic. lib. 6. c. 4. *Episcopi moverunt questiones de Decima fidelium populorum, quæ affertur ad Ecclesias: lectis inde capitulis ex Canonum autoritate, quid inde agi debuisset; invenerunt, quatuor portiones fieri, unam Episcopo*

*De Origine &c. Decimarum.* 53

tia Anno 813. 20.), & Anno 888. ubi presentibus Archiepiscopis Moguntino, Trevirensi & Coloniensi, qui Decimas dare neglexerint, excommunicantur 21.).

§. 33. In Capitularibus Regum *Etiam* Francorum, quibus magna pars Ger- *in Ger-* mania subiacebat, ubique occurrunt *mania* gravissimæ adhortationes & Mandata

D 3 de

---

*piscopo, alteram Clericis, tertiam pauperibus, quartam Fabricis Ecclesie. Tum consenserunt ibi cuncti Abbates, qui presentes aderant huic Decreto, secundum Canones, & reddiderunt portiones Episcoporum Episcopis, quæ illos contigisset. Ad eosdem fines impendi Decimas jubet Concilium TRIBURIENSE Anno 895. can. 13. & NAMNETENSE c. 10. apud Harduin. tom. VI. part. I. col. 457. seqq. de eadem materia videri possunt Capitularia CAROLI M. apud Harduin. tom. IV. col. 958. c. 7. Capitulare AHYTONIS Episcopi Basileensis, & Abbatis Augiensis cap. 15. ibid. col. 1243.*

20.) *Ibi Can. 38. Admonemus atque precipimus, ut Decimas Deo omnino dari non negligatur, quas Deus ipse sibi dari constituit: quia timendum est, ut quisquis Deo debitum suum abstrahit, ne forte Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua.*

21.) *Cap. 17.*

54      *Sectio III. Tit. III.*

de *Decimis* DEO & Ecclesiæ dan-  
dis 22.), & *Nonis* persolvendis 23.):  
jubenturq; Presbyteri secundum Ca-  
nonicam Regulam fideliter eas divi-  
dere 24.), eos scilicet modo, quo alii Ec-  
clesiarum Reditus dividi præcipiuntur.  
Saxones, quos CAROLUS M. sibi & Chri-  
sto subjecerat, Tributorum nomen  
horrebant: sed Decimarum, more  
Christiano solvendarum exactionem  
recusare non poterant 25.), præser-  
tim

---

22.) Capit. lib. VI. c. 192.

23.) Capit. Anni 779. c. 13. Capit. lib. 2.  
c. 21. Capit. IV. Anni 819. c. 5. Addit.  
III. c. 29. Addit. IV. c. 164. item lib.  
V. c. 154. item CONC. FRANCOFORD.  
anno 794. can. 25. *Decima* scilicet  
solvenda est Jure Ecclesiastico; *Nonæ*  
autem fructuum pars Jure colonario,  
quando agri Ecclesiarum alicui conces-  
si sunt in beneficium, prout constat ex  
Capit. lib. I. c. 157. ubi statuitur, *ut*  
*qui Ecclesiarum beneficia habent, Nonam*  
*& Decimam ex eis Ecclesiæ, cujus res*  
*sunt, donent.*

24.) Capitular. lib. V. c. 173.

25.) Capitul. de partibus Saxon. c. 17.  
*secundum Dei mandatum præcipimus, ut*  
*omnes decimam partem substantiæ & la-*  
*boris sui, Ecclesiis & Sacerdotibus do-*  
*nent*

*De Origine &c. Decimarum. 55*

tim cum Fiscus Regius exemplo suo præiret 26.). Ex his Decimis stipendia militibus præstabantur, sumptusque fiebant crebrarum in eam Gentem expeditionum, cum hæc revera esset piissima causa Ecclesiæ, & Religionis Christianæ tum introducendæ, tum conservandæ unicum medium, ut proin Decimæ pro bono Ecclesiæ impendi viderentur 27.).

§. 34. Existimant aliqui, ex hac *Quarum* Saxoniarum Decimarum destinatio- *multæ* ne ortum esse, ut multarum Deci- *devene-* marum exactiones devenerint in ma- *runt* nus Laicorum. Aliam huic rei causam accessisse censent plurimi. Cum enim non satis confiderent Pontifices, sua jura a Laicis Principibus

D 4 de-

---

*nent tam Nobiles, quam ingenui, similiter & Liti: juxta quod Deus unicuique dederit Christiano, partem Deo reddat.*

26.) Ibid. c. 16. *Et hoc Christo propitio placuit, ut undecunque census aliquid ad Fiscum pervenerit, sive in Frido, sive in qualicunque banno, & in omni redibutione ad Regem pertinens, Decima pars Ecclesiis & Sacerdotibus reddatur.*

27.) ALBERTUS KRANTZIUS Metropol. lib. I. c. 2.



defendi; dedisse dicuntur partem Decimarum Principibus per speciem Feudi & Beneficii, malentes amittere dimidium, quam totum. Inde factum, ut a Principibus transfirent in Ministeriales, qui postea Milites appellabantur 28.). Carolus Martellus, testantibus Gestis Francorum per multa bella censu, pecuniaque extenuatus, cum compertum haberet, Proceres egregiam operam Reipublicæ navasse, fortunisque suis destitutos esse, Decimas, quæ Cleri erant, non dissentientibus Episcopis, Proceribus, dum bellum adversus Christianæ Religionis hostes gererent, percipiendas attribuit, per sancte jurans, si vitam diu viveret, se omnia & multo majora Sacerdotibus repensurum 29.). Huic Origini Decimas in Laicos devolutas videtur etiam adscribere Imperator

FRI-

---

28.) KRANTZIUS *ibid.*

29.) Ita narrat ROBERTUS GUAGUINUS de Gestis Francorum lib. III. in Carolo Martello fol. 446. addens, Euterium Arelatensem Pontificem divulgasse, se per quietem vidisse Martellum ejus sacrilegii poenas apud inferos luere.

*De Origine &c. Decimarum.* 57

FRIDERICUS *Barbarossa*, qui querelas Pontificis hac de re ad Comitata Imperii referebat, Anno 1186. in Geilhausen habita 30.). Cum enim Pontifex URBANUS III. dixisset, *iniustum esse, aliquam Laicam personam Decimas possidere, quas manifeste Dominus his, qui Altari deserviunt, deputaverit. Respondet Imperator, scire se, Decimas & Oblationes a DEO Sacerdotibus & Levitis primitus deputatos, sed cum tempore Christianitatis ab Adversariis infestarentur Ecclesie, easdem Decimas prepotentes & Nobiles Viri ab Ecclesiis in Beneficio stabili acceperunt, ut ipsi Defensores Ecclesiarum fierent, quæ per se sua obtinere non valerent. Alii sibi persuadent, multas Decimas, quæ sunt in manibus Laicorum, nunquam pertinuisse ad Ecclesias, sed a prima sua origine fuisse Dominicales a principibus vel Nobilibus ex curtibus suis perceptas. Facile potuit contingere, ut isti has Decimas Ecclesiis suarum Villarum pro lubitu suo applica-*

D 5 ca.

---

30.) Sic refert ARNOLDUS *Lubecensis* Chronic. Slavor. Lib. III. c. 18. n. 3.

carent 31.) : argumentum tamen ab his duci non posse censent ad Decimas , quæ Jure Ecclesiastico ad Ecclesias

---

31.) Capellis Regiis Decimas Dominicales applicaverat Carolus M. jam antequam fieret Imperator , ut patet ex Capitulari de Villis Karoli Magni c. 6. *Voluimus ut Judices Decimam ex omni conlaboratu pleniter donent ad Ecclesias, quæ sunt in nostris Fiscis, & ad alterius Ecclesiam nostram Decima data non fiat, nisi ubi antiquitus institutum fuit. Et non alii Clerici habeant ipsas Ecclesias, nisi nostri, aut de familia, aut de Capella nostra.* Unde Capitular. Anni 828. c. 1. agendum determinabatur *de Decimis, quæ ad Capellas Dominicas dantur.* Exemplum aliud habemus in vicinia nostra, ubi Anno 1034. Liutgerus Comes cum consensu Heriberti Episcopi Eustettenfis, pro fundando Monasterio Monialium ad S. Walburgam Eustadii tradidit insignia Bona cum omnibus appendiciis, id est Ecclesiis, Decimis &c. quo tempore raræ adhuc fuerunt Ecclesiæ Parochiales ruri in his Provinciis : unde conijcere licet, Decimas illas fuisse *Dominicales*, & nunquam pertinuisse ad aliquam Ecclesiam Parochialem, a qua eas abstrahi non passus esset Episcopus ad fundandum Monasterium Monialium.

*De Origine &c. Decimarum. 59*

clesias parochiales dantur 32.). Quando igitur Principum vel Nobilium Successores, liberalitatem Patrum suorum non imitati, Decimas has ad suum Fiscum revocabant 33.), facile potuit contingere, ut Coloni ad alias Decimas Ecclesiæ dandas se teneri non crederent.

§. 35.

---

32.) Inter Decimas Dominicales Capellis Regiis liberaliter applicatas, & Decimas Parochiales accurate distinguit Concilium MELDENSE Anno 845. c. 75. ubi Regem Carolum Calvum monent Episcopi: *Si Capellas vestras Presbyteris, aut Viris Ecclesiasticis dederitis, & Dominicas Decimas acceperint, sarta tecta Ecclesia & luminaria exinde competenter provideant; & Presbyteri Parochianas Decimas accipiant, & populi necessitatibus debite invigilent &c.*

33.) S. LUDOVICUS Galliarum Rex Anno 1269. Edicto cavet, ut Decimæ profanæ, si Ecclesiis tribuerentur, haberentur tanquam Ecclesiasticæ: ob insertam autem clausulam *quantum in nobis est*, Edictum multas patiebatur limitationes, ne præjudicaret alii Domino directo, quam Regi, si forte Decimæ feudales donarentur Ecclesiæ. Totum Edictum refert GRIMAUDET Paraphrase du Droit des Dixmes, lib. II. c. 6. n. 49.

*In ma-  
nus Lai-  
corum;*

§. 35. Extra has Decimas Domi-  
nicales, ex allatis & aliis obviis Do-  
cumentis abunde ostenditur, Deci-  
marum solutionem cum Religione  
Christiana in nostra Germania fuisse  
propagatam: multas autem ex illis  
devenisse olim in manus Laicorum  
autoritate Ecclesiastica, eo titulo, ut  
Laici illas in Beneficium & Feudum  
ab Ecclesia datum recognoscerent,  
& vicissim Ecclesiarum defensionem  
in se susciperent; vel potius, ut  
fructus Decimarum eo usque perci-  
perent, dum bellum adversus Ec-  
clesiarum hostes gerendum, aut im-  
pensi sumptus compensandi essent:  
plurimas autem idem fatum subiisse  
ex propria Laicorum violentia, vel  
sub colore & fuce ejusdem defen-  
sionis; vel prædæ nomine, turbu-  
lenti illis temporibus, quibus Pon-  
tifices Romani & Imperatores inter  
se collisi, Episcopos etiam Germa-  
niæ in varias partes distraxerunt,  
Bonaque Ecclesiarum deprædationi  
militum exposuerunt.

*Variis  
Decretis  
revoca-  
ta;*

§. 36. Merito hanc usurpationem  
Religioni sibi ducebant multi timo-  
rati Laici, quorum pietatem in lu-  
crum suum vertebant nonnulli vel  
Eque-

*De Origine &c. Decimarum. 61*

Equestris, vel alterius Religiosæ Professionis Viri, qui ejusmodi Decimas a Laicis in se transferri, sub prætextu Privilegiorum Apostolicorum procurarunt, ea sæpe conditione, ut iidem Laici eas ex manibus Religiosorum, tanquam in Feudum datas recipere. Contra hos Concilium LATERANENSE sub Alexandro III. 34.) Decimas de manu Laicorum sine consensu Episcopi Religiosos recipere prohibet, dimissis etiam, quas contra tenorem istum aliquo tempore recepissent. Cum tamen URBANUS III. ejusque Successores frustraneo conatu urgerent Laicos ad Decimas Ecclesiis, unde distractæ fuerant, restituendas; consultius autem videretur, eas locis Religiosis applicari, quam iniqua usurpatione a Laicis detineri: demum ALEXANDER IV. Sæculo XIII. permisit, ut Religiosi de manibus Laicorum recipiant, vel acquirant illas Decimas, quæ ante Concilium Lateranense sub Alexandro III. celebratum, ipsis Laicis in Feudum perpetuo fuerunt concessæ 35.). Huic Constitutioni

---

34.) Anno 1179. Cap. 9.

35.) C. 2. §. sane 3. de Decim. in 6.

tioni acceptas ferunt Fundationes suas Monasteria quædam, quibus Laici pro fundo Decimas assignarunt, a se antea juste vel injuste possessas, legitime tamen ex dicta concessione Pontificis in Monasterium translatas 36.)

*Nec cum  
Tributis  
confun-  
denda.* §. 37. Hæc fusius, quam angustia hujus libelli permittere videbantur, annoranda duximus, ut Decimarum Ecclesiasticarum origo & differentia ab aliis Decimis profanis probe agnoscat; cum multi Scriptores Decimas Ecclesiæ, ejusque Ministris debitas, confundant cum aliis Decimarum generibus, quæ Tributorum nomine, vel alio profano titulo Principibus solvebantur pridem, & adhuc hodie alicubi solvuntur.

Uni-

---

36.) Suspiciantur aliqui, Nobiles nonnullos, qui Decimas Dominicales possederant, ignaros, unde jus istud Majores sui acquisivissent, perterritos Pontificiis fulminibus, quæ generaliter Laicos Decimarum possessores impetebant, Decimas Ecclesiis tradidisse, vel ab iis in Feudum recepisse: & hac ratione eas effecisse Ecclesiasticas, quæ antea fuerant Laicæ.

*De Origine &c. Decimarum. 63*

Unicum lubet addere exemplum doctrinæ non satis castigatæ ex JOANNE SCHILTERO 37.), qui originem Decimarum Ecclesiasticarum ad Clotharium Regem referendam existimat, allegata in hanc rem Constitutione, quam supra §. 22. Not. 85. retulimus : ubi tamen Clotharius nullas Decimas exigendas dat Ecclesiis, sed has solummodo a præstandis Decimis Dominicalibus immunes reddit. Allegat præterea SCHILTERUS Decretum Episcoporum post Concilium Turonense Anno 567. habitum, ubi populos ad præstandas Decimas adhortantur : ex quo tamen contra opinionem hujus Scriptoris inferri potest, Decimarum Ecclesiasticarum Originem nequaquam ad Clotharium referri debere, cum Episcopi isti populos non adhortentur ad Decimas præstandas ex Constitutione Clotharii, quæ recentissime ante paucos annos fuerat edita ; sed potius ab exemplo Abrahamæ, ut ob imminentem magnam calami-

---

37.) De Libert. Eccles. Germ. Lib. V. c. 6.  
§. 6.



calamitatem 38.), oblata DEO Decima parte, servarent partes reliquas.

*Decimæ sunt Reales:* §. 38. Decimæ igitur, hoc loco considerata tanquam *Decima pars* *fructuum & lucrorum licite questorum, Ecclesie Ministris exsolvenda*, Divisionem præcipuam habent ratione rerum, ex quibus penduntur. Hoc intuitu sunt vel *Reales*, vel *Personales*. Reales dicimus, quæ solvuntur ex fructibus, quos natura profert, vel bonitate fere spontanea, vel per industriam hominum adjuta & provocata. Tales sunt Decimæ frumenti, vini, olerum, pomorum, fœni, fœtuum, aliorumque fructuum, quos

---

38.) FLEURY Hist. Eccl. tom. 7. lib. 34 §. 17. suspicatur, hanc calamitatem timendam fuisse ob bellum civile inter Sigebertum & Chilpericum post mortem Chariberti. Sed videtur potius denotari bellum, quod Guntramnus & Sigebertus gerebant contra Chilpericum pro vindicanda nece, qua Chilpericus Conjugem suam Galswindam hoc ipso anno sustulisse credebatur: qua occasione Chilpericus amittebat partem earum ditionum, quas ex hæreditate Chariberti per pacificam inter fratres divisionem obtinuerat.

*De Origine &c. Decimarum. 65*

quos proferunt animalia, aut quæ ex his fructibus fiunt, ut lactis, lanæ, ovorum, mellis, butyri, cafei &c. omnes hæ Decimæ vocantur etiam *Prædiales*, eo quod ex solo & prædio proveniunt, ad quas referuntur etiam fructus civiles, percepti ex locatione, jure emphyteutico, laudemis, censibus &c.

§. 39. *Personales* penduntur ex lucris seu commodis, quæ præcipue & immediate suo labori, industria, arti ac ingenio debet persona 39. ). Huc referuntur lucra ex artefactis & negotiatione, salaria ratione Officii aut Dignitatis, merces locatæ operæ, stipendia militiæ, spolia ex hostibus, pecunia redacta ex venatione, aucupio, piscatu &c. 40. ). Hæ Decimæ

*Vel Personales*

E cimæ

- 
- 39.) Decimæ, quæ vocantur personales, proprie non sunt personales, sed potius patrimoniales; ita tamen vocantur, quia solvuntur de iis, quæ acquisita sunt a persona, non ex prædiis: sunt igitur proprie & immediate onus, non personæ, sed patrimonio impositum.
  - 40.) Necessarium non esse, ut addatur tertium

*De Jure Rer. Eccles. Pars poster.*

*cimæ Personales* vix alicubi sub præcepto sunt in usu, saltem quoad determinatam portionem decimam 41.): sed cujusvis pietati relinquitur, ut ex lucris suis se gratum & liberalem exhibeat Deo; adhortari tamen decet Christianos, ut ex lucris suis prompte conferant ad Cultum Divinum. In Veteri quidem Testamento, nomine Decimarum Personalium nihil præstabatur, cum singulæ Tribus haberent divites possessiones, ex quibus abunde providere poterant Levitis & Sacerdotibus, qui etiam

---

tertium genus Decimarum *Mixtarum*, ostendit P. FRIDERICH tract. de Decimis part. I. q. 2.

41.) In quibusdam Regionibus Hispaniæ solvi Decimas salariorum a famulis, dicit NAVARRUS in Manuali c. 21. n. 31. De Episcopatu Placentino idem testatur GUTIERREZ Canon. Quæst. lib. II. c. 21. n. 34. & Rota Rom. apud BARBOS. de Offic. Paroch. c. 28. §. 2. n. 27. LESSIUS autem de J. & J. lib. II. c. 39. n. 27. dicit, Decimas Personales Venetiis solvi in fine vitæ, alibi in fine anni. Vestigia Decimarum Personalium in nostra Germania indicabimus infra Tit. IV. §. 44.

*De Origine &c. Decimarum. 67*

etiam ex aliis honestis negotiationibus lucrum facere non prohibebantur: in nova autem Lege plurimi Fideles per totum mundum dispersi, possessiones & prædia non habent, sed de aliis negotiationibus vivunt, qui proin nihil conferunt ad Cultum Divinum & subsidium Ministrorum Ecclesiæ, si de suis lucris personalibus Decimas non solvant. Dein Ministris Legis novæ arctius interdicatur, ne se negotiationibus immisceant.

§. 40. Reales Decimæ, aliæ sunt *Majores*, aliæ *Minores*. Quinam *res vel fructus* ad has, vel illas referantur, *Minor* consuetudo locorum determinat. Ad *res: Antiquæ* plerumque referuntur *Decimæ* ex frumento, vino, oleo &c. *vel Novales*. *Minoribus* solent annumerari *Decimæ vales*. *olerum, pomorum, leguminum, fœni &c.* 42.). Item aliæ dicuntur *Antiquæ*, aliæ *Novales*, quæ scilicet ex *Novalibus*, seu fundis recens cultis

E 2                      colli-

---

42.) Juxta Codicem Civilem Baviariæ p. 2. c. 10. §. 2. ad *Minores* referuntur etiam *Decimæ* ex *Lupulis*, *foliis tabaci* &c.

colliguntur. Novale autem hoc loco non sumitur in sensu Juris Civilis *pro terra præcisa, que anno cessavit 43.*); sed in sensu Juris Canonici intelligimus agrum *de novo ad culturam redactum, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuisset 44.* ). Imo etiam in ordine ad Decimas, censetur primumque fundus ille *Novalis*, qui nunc redigitur ad culturam fructuum decimabilium; cum antea tulerit quidem fructus, sed nequaquam juri decimationis subjectos. Sic in locis, ubi ex consuetudine non dantur Decimæ fœni, *Novale* dicitur, quando pratium convertitur in agrum.

*Explicatur  
natura  
Realium:*

§. 41. Porro, ut bene apprehendatur natura Decimarum *Realium*, sciendum est, onus Decimarum immediate inhærere fructibus, & solummodo mediate prædiis, quatenus hæc virtualiter continent fructus. Unde Ecclesia nec habet ullum jus in ipsos agros, vel res frugiferas: nec habet proprium & privatum dominium Decimarum, antequam

---

43.) L. 30. §. 2. ff. de V. S.  
44.) C. 21. de V. S.

*De Origine &c. Decimarum. 69*

tequam sint separatae : habet tamen Jus Jurisdictionis & Superioritatis ad determinandam quotam , & compellendos Fideles : sicuti Tributa non sunt Principis , antequam illi praestentur : potest tamen Princeps ea imponere & subditos compellere ad solutionem ; licet enim exigere non tantum rem suam , sed etiam rem sibi quocunque jure debitam 45. ). Propriissime autem loquendo , onus Decimarum Praedialium , licet dicatur reale , principalius tamen est personale : nam personae sunt , quae ex praeepto tenentur ad Decimas ex fructibus rerum , vel ex lucro actionum suarum , quia Leges imponentes Decimam , respiciunt personas , quas obligant ad solvendam partem fructuum , vel lucrorum , intuitu passivae receptionis Divinorum a Ministris Ecclesiae .

§. 42. Demum solent Decimae com-<sup>Quae vel</sup>  
muniter dividi in *objective seu mate-* <sup>materia-</sup>  
E 3 *riali-*

---

45.) Vox *vindicandi* Decimas in c. 23. XVI. q. 1. non sumitur in sensu Juridico pro actione Civili : sed idem significat , ac appropriare , usurpare &c.

liter, vel rialiter sumptas, & in formaliter ac-  
 formali- ceptas. Per Decimas materialiter spe-  
 ter consi- ctatas intelligitur ipsa pars decima  
 deran- fructuum: per formaliter considera-  
 tur: tas, intelligitur jus petendi decimam  
 partem fructuum, fundatum in titu-  
 lo spirituali, scilicet ministerio sa-  
 cro, vel Cura animarum. Huic di-  
 visioni scriptores superstruunt varias  
 Decisiones. Ajunt, Decimas mate-  
 rialiter sumptas posse præscribi etiam  
 a Laicis, posse pro pretio tempora-  
 li vendi, permutari &c, secus Deci-  
 mas formaliter spectatas. Ista alium  
 sensum non habent, quam illum, quo  
 in ceteris bonis Ecclesiasticis distin-  
 guitur dominium directum Bono-  
 rum a dominio utili, quando Bona  
 Ecclesiæ traduntur Laicis in Feudum,  
 vel Emphyteusin. Eodem enim mo-  
 do, si Decimæ dantur in Feudum,  
 dominium directum manet penes  
 Ecclesiam; dominium utile transit  
 in vasallum. Si vero prædia Eccle-  
 siæ alio contractu, per quem domi-  
 nium bonorum transferri solet, in  
 Laicos alienentur, nemo suspicatur,  
 jus aliquod spirituale in eos transi-  
 re, vel penes Ecclesiam permanere.  
 Nam per ejusmodi alienationem ri-  
 te

*De Origine &c. Decimarum. 71*

te factam, omnis proprietas bonorum ab Ecclesia sejungitur, & plenissimo jure in emptorem transit, redeunte vicissim, si contractus sit utilis, eo commodo ad Ecclesiam, quod æquivalet spei & juri percipiendorum ex talibus bonis proventuum. Eadem prorsus ratione si Decimæ per venditionem, aut alium ejusmodi contractum alienantur, omni ad eos jure privabitur Ecclesia, modo requisitæ ad alienationem solemnitates adhibeantur, & tanta redeat ad Ecclesiam utilitas, qua compensentur fructus singulis annis percipiendi.

§. 43. Id asseri potest, Laicis in *ALaicis* ejusmodi casu competere solum- *autem* modo jus exigendi Decimas mini- *iure pro-* steriale, seu procuratorium, vi cu- *curato-* jus exigant Decimas nomine Eccle- *rio colli-* siæ, ad propriam tamen utilitatem: *gantur.* cum enim Decimæ singulis annis offerantur DEO, colligi non possunt, nisi nomine Ecclesiæ ab iis, quibus Administratores Bonorum Ecclesiasticorum id legitima autoritate concedunt, ex ea præcedente causa, quæ suo modo singulis annis hanc concessionem censetur expetere, cum



singulis annis Oblatio nova per præstitas Decimas fiat Numini. Similiratione jus ad certas Oblationes potest concedi Musicis, ædituis, aliisque ad Ecclesiæ obsequia destinatis Laicis.

**TITULUS IV.  
QUINAM, EX QUIBUS REBUS, ET QUOMODO SOLVERE TENEANTUR DECIMAS?**

*Confer. ut in priori Titulo.*

§. 44.

*Regulãriter ad Decimas præstandas* **R**EGULA generalis est, ad Decimas præstandas teneri omnes Fideles. Et quidem ad Decimas Personales, ubi consuetudo non est contraria, tenentur omnes, qui ab Ecclesia Sacramenta percipiunt 46.). Harum

46.) Concilium TROSLÉJANUM in Gallia Anno 909. cap. 6. sic loquitur: *fortassis vero dicet aliquis: non sum agricola, non habeo, unde possim dare Decimas fructuum terrenorum, vel etiam armorum. Audiat quicumque est ille, miles sit, negotiator sit, artifex sit: Ingenium, quo pasceris, Dei est, & ideo inde ei dare debes Decimas &c.* Dein militibus proponit exemplum Abrahæ.

*Quinam &c. teneantur ad Decim. 73*

rum vestigia quædam in Germania restant. Ingolstadii ubi hæc scribo, ad finem anni Cooperatores Parochorum ex singulis ædibus colligunt nummos, quorum numerum liberalitas Parrisfamilias determinat. Eadem consuetudo viget Monachii & alibi: vocaturque Germanice *Leib-Pfening*. Huc refertur Nummus tempore Paschali a Confitentibus dari solitus; Mortuarium; Jura Stolæ, quando confertur Baptismus, benedicuntur Nuptiæ, administrantur Sacramenta moribundis &c. 47.).

§. 45. Ad Decimas *Prædiales* teneantur, qui titulo profano possidentur omnes fundos in districtu Parochiali, nisi *nisi* Fijusto titulo sint exempti. Tenen-*deles*, tur igitur etiam Reges & Principes, quia non possunt seipso eximere 48.): item Religiosi. nisi habeant

E 5                      pri-

---

47.) Vid. supra Tit. III. §. 38. Not. 4r.  
48.) ÆTHELSTANUS Rex Anglorum in Concilio GRATELEANO circa Annum 928. c. I. præcipit Præfectis suis, ut ex Regiis bonis præstent Decimas, apud HARDUIN. Tom. VI. col. 565. & 568. ubi nominantur *Aldermannâ* voce hodie usitata.

privilegium; isto si sint muniti, debent tamen solvere Decimas ex fundis jam antea juri Decimarum subjectis, nisi etiam quoad hoc specialiter sint privilegiati 49.) : item Clerici non habentes Beneficium Ecclesiasticum 50.) . Tenentur etiam A catholici, quia sunt subjecti Ecclesiæ, quam ingressi sunt per Baptismum; & hinc, licet Sacramenta a Catholicis Parochis non recipiant, recipere tamen deberent, utpote Ecclesiasticis Præceptis obstricti, Singulæri Constitutione Imperii 51.) Catholicis reservantur Decimæ ex Territorio alieno A catholicorum antiquitus debitæ.

§. 46.

---

49.) Tale privilegium Patres Societatis Jesu habent a GREGORIO XIII. per Breve *Pastoralis*. Anno 1578. ubi derogatur Capitulo Nuper. 34. de Decimis.

50.) Verba C. 2. de Decimis: *illi Clerici, qui a Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, Decimas eis debent*, intelligi possunt de Clericis non habentibus Beneficium Ecclesiasticum.

51.) Pax Relig. Augustæ 1555. Art. 7. 8. & 9. Pax Westphal. Osnabrug. art. 5. §. 46.

*Quinam &c. teneantur ad Decim. 75*

§. 46. Successor universalis tene- *Deci-*  
tur ad solvendas Decimas a Testato- *mas non-*  
re non solutas, cum quo censetur *dum so-*  
eadem persona: nequaquam autem *lutas*  
Successor particularis, qui ex em- *compen-*  
ptione, permutatione, aut simili ti- *sat præ-*  
tulo fundum acquirit. Nam obliga- *dii suc-*  
tio solvendi Decimas immediate & *cessor*  
directe annexa est perceptioni fru- *univer-*  
ctuum: qui igitur hos non percipit, *salis:*  
non tenetur solvere Decimas. Ali-  
ter sentiendum de Tributis, quæ in-  
hærent rebus: proin obligatio sol-  
vendi tributa transit ad quemcun-  
que possessorem. Reges enim & Prin-  
cipes, quibus Tributa debentur, cer-  
tam & determinatam eorum quanti-  
tatem quovis anno exigunt, suis  
sumptibus & communibus Reipubli-  
cæ oneribus sustinendis proportiona-  
tam, ac dimensis Regionis suæ por-  
tionibus respondentem, sive major,  
sive minor sit anni fertilitas. Econ-  
tra annua Decimarum præstatio non  
respondet amplitudini fundorum, aut  
exigentia Parochorum, sed majori  
vel minori copia fructuum: si isti  
sint copiosi, replebitur Parochi hor-  
reum; si fructus ex injuria tempesta-  
tis sint rari, horreum Parochi exhi-  
bebit

bebit vacua rustica, quæ replere non tenebitur colonus, cum ex sola perceptione fructuum oriatur obligatio, offerendi DEO Decimam eorum partem, ad Cultum Divinum applicandam. Unde juxta phrasas Sacrorum Canonum *homines de fructibus Decimam solvunt; de fructibus quos percipiunt, Decimæ sunt solvendæ: fructus ipsos alienari posse non credimus, nisi cum onere Decimarum §2.)*, quia onus Decimarum nondum præstitarum transit cum fructibus, non autem cum agro, sicut onus Decimæ carnaticæ nondum præstitæ, non transit cum vendita vacca vel ove. Æquivocationis ansa sumi videtur ex eo, quod Decimæ prædiales passim vocentur onus *reale*, scilicet non fundatum in *persona*, vi cujus jus decimandi transfret cum persona ad alium Parochum; sed quia remanet apud eum Parochum, intra cujus limites sunt agri. Hinc dicitur onus prædiale, *reale*, onus fundi, in quantum opponitur oneri *personali* §3.).

§. 47.

52.) C. 7. 24. 28. de Decim.

53.) Quænam vocentur Decimæ Personales, dictum est in priori Titulo Not. 32.

*Quinam &c. teneantur ad Decim. 77*

§. 47. Contraria opinio eorum *Non aut-*  
54.), qui dicunt, obligationem De- *tem par-*  
cimarum non solutarum transire ad *ticula-*  
successorem particularem, præcipue *ris, nisi*  
nititur hac ratione, quia Decimæ *simul ad*  
dicuntur onus reale, & prædia dicun- *eum*  
tur obnoxia pro Decimis; item quod *tran-*  
obligatio solvendi Decimas sequatur *seant*  
rem, juxta Glossam & S. Thomam. *fructus*  
Hæ autem rationes vim movendi non *nondum*  
habent, cum denominatio oneris rea- *decimas*  
lis sit prorsus æquivoca, ut dictum: *ti:*  
& prædia dicuntur obnoxia non pro  
Decimis præteritis, sed pro futuris,  
quatenus virtute continent fructus  
futuros; nam præteritos jam pro-  
tulerunt, & in illos transfulerunt  
onus Decimarum indirecte & me-  
diante sibi incumbens. Si autem ma-  
nerent obnoxia pro prioribus debi-  
tis, id esse deberet per modum Hy-  
pothecæ, vel vi alicujus Legis: neu-  
trum autem horum invenitur. De-  
mum obligatio solvendi Decimas se-  
quitur rem, id est, sequitur fructus  
nondum decimatos 55.),

§. 48.

---

54.) AUGUST. BARBOSA, REBUFFUS,  
AZOR, MONETA &c.

55.) Ita sentiunt SUAREZ tom. I. de Rei  
lig.

*Secus ac  
in Tri-  
butis.*

§. 48. Protestantium assertiones in hac causa attendi non debent, cum juxta eorum principia Decimæ eandem cum Tributis profanis naturam habeant: consequenter non debent intelligi, nisi de Decimis Dominicalibus (supra priori tit. §. 22.): nos autem hic loquimur de Decimis spiritualibus & Ecclesiasticis DEO in gratitudinem & obsequium ob fructus perceptos debitis (56.).

*De Lo-  
catoris,  
aliorum*

§. 49. Si locatus sit fundus, pro diverso locandi modo diversimode respondendum est ad Quæstionem, an Locator, an vero Conductor seu  
Co-

---

lig. tr. 2. lib. 1. c. 38. n. 9. FAGUNDEZ in quint. Eccl. præcept. lib. 3. c. 6. LAYMAN Theol. Mor. lib. 4. tract. 6. c. 2. n. 5. HENRIC. CANISIUS in lib. 3. Decretal. tit. 30. c. 4. n. 3. seqq. PIRHING ibid. n. 161. SCHAMBOGEN ibid. n. 51. SCHMALZGRUEBER ibid. n. 24. MELCHIOR FRIDERICH de Decimis n. 132. seqq. FRANC. SCHMIER Jurisprud. tom. 2. ad lib. 3. Decretal. fol. 456. PLACIDUS BÖCKHN ad Tit. de Decim. n. 43. seq.

56.) Discrimen inter Tributa Principum & Decimas Ecclesiasticas tradunt omnes allegati.

*Quinam &c. teneantur ad Decim. 79*

Colonus teneatur ad præstandas De- que ob-  
cimas: scilicet prout alteruter vel in- ligatio-  
tegros, vel partiales percepit fru- ne ad  
ctus; tenebitur etiam integras, vel Deci-  
pro rata pendere Decimas 57.). Le- mas.  
ge Decimarum non tenetur Episco-  
pus, Parochus, nec etiam Clericus Be-  
neficiatus de prædiis propriæ mensæ,  
Ecclesiæ, aut Beneficii. De Patri-  
monialibus aut titulo profano pos-  
sellis plerumque tenentur ad Deci-  
mas ex generali illa ratione, quod  
Bona non debeant transire ad alios  
cum præjudicio Decimatoris ordina-  
rii. Unde licet infideles, utpote  
non indigentes ministerio Clericali,  
ratione personarum suarum non te-  
neantur; nihilominus jubentur com-  
pelli *Judæi ad Decimas persolvendas vel  
possessions penitus renuntiandas 58.)*,  
prohibendo scilicet, ne Judæis ali-  
ter vendantur prædia, nisi cum one-  
re

---

57.) De diverso locandi modo intelligun-  
tur inprimis C. 24. & 26. de Decim.  
dein C. 8. & Clement. 1. eod. demum  
c. 32. & 33. eod. Distincte singula ex-  
plicantur a P. FRIDERICH de Decimis.  
a n. 116.

58.) C. 16. de Decim.



re Decimarum, ne forte occasione illa Ecclesia valeant suo jure fraudari 59.) : quod multo magis per modum pœnæ observandum est in prædiis, quæ Judæi per usuras obtinuerunt, ut sic Ecclesiæ conserventur indemnes 60.). *Pauperes* debent necessitatem suam exponere Parocho, qui cognita causa, Decimas remittet; quando scilicet deprehendit tantam indigentiam, ut solutis Decimis non superessent sufficientes redditus ad se, suosque alendos,

§. 50.

---

59.) Ex simili ratione C. 17. de Excess. Prælat. insinuatur, aliquid exigi de Judæorum domibus, quod, nisi Judæi ibidem morarentur, ab aliis habitatoribus proventus aliqui Parochis provenirent. In quibusdam locis singulæ familiæ Judæorum, Parocho loci ad Festum S. Martini pendunt faginatum anserem. Oettingæ in Rhætia Judæi, qui Catholicis & Lutheranis immixti habitant, singulis annis solvunt Parocho Catholico viginti florenos, & totidem Præconi Lutherano *pro Furibus stola, die Juden-Stol*: scilicet ad compensanda ea emolumenta, quæ obvenerent Parocho ab incolis Christianis earum ædium,

60.) C. 18. de Usuris.

*Quinam &c. teneantur ad Decim. 81*

§. 50. A regula generali solvendi *Immunitas*  
Decimas varii singulari titulo exi-  
muntur 61.). Modi autem acqui-  
solvenda hujus Immunitatis commu-  
dis De-  
niter recensentur: I. Privilegium. II. *cimis*  
Consuetudo. III. Præscriptio. IV. *acquiri-*  
Pactum de non petendo, Transactio, *tur Pri-*  
Compensatio, Remissio gratuita. *Privilegio*;  
*vilegium* exemptionis a Decimis po-  
test ex justa causa concedere Sum-  
mus Pontifex, salva tamen congrua  
sustentatione Cleri, sive ex aliorum  
Decimis, sive ex aliis Reditibus Be-  
neficialibus. Episcopis talis facultas  
non solet permitti, multo minus  
Laicis 62.): possunt tamen Episcopi  
remittere Decimas Mensæ suæ debi-  
tas ad tempus vitæ suæ; interpone-  
re Decretum in compositione super  
Decimis alias permittitur; item Deci-  
mas, quas nunquam possederat, aut  
ad nullam Ecclesiam spectantes, sibi  
retinere, vel alteri Ecclesiæ conce-  
dere

F

---

61.) Cum quilibet Decimas solvere teneatur, nisi a præstatione ipsarum specialiter sit exemptus. c. 24. de Decim.

62.) C. 25. eod.

*De Jure Rer. Eccles. Pars poster.*

dere 63.). Privilegium exemptionis habuerunt olim fere omnes Religiosi, varie tamen postea restrictum, ita scilicet, ut solummodo de Novalibus suis, quæ propriis manibus aut sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis Decimas non persolvant 64.). Privilegium hoc sine limitatione concessum, eximit a Decimis antiquis & Novalibus: licet enim ejusmodi Privilegium sit odiosum & strictæ interpretationis; verba tamen ejus sensum proprium retinere debent. Non autem extenditur ad prædia conducta, vel Emphyteutica: neque ad Colonos conducentes agrum Privilegiatorum, nisi sit reale, quale est, si non præcise persona ob labores proprios agris impensos, sed ipse fundus sit exemptus 65.). Etiam Leprosi in commune viven-

---

63.) C. 13. eod.

64.) C. 10. & Clem. 1. eod.

65.) Extra Corpus Juris communis varii Religiosi exhibent singularia Privilegia, quale etiam in amplissima forma dedit GREGORIUS XIII. Societati Jesu

*Quinam &c. teneantur ad Decim. 83*

viventes, non tenentur de suis hortis & animalibus Decimas solvere 66.). Privilegium non solvendi Decimas cessat I. quando Privilegiatus bona sua alienat in non privilegium, nisi ab immemoriali tempore constet, prædia ipsa gaudere hac immunitate, a quocunque demum possideantur. II. Si ex illo enormis læsio ac gravamen successu temporis nascatur legitimis Decimatoribus 67.). III. Per non usum, seu per solutionem Decimarum per tot annos, intra quos completur præscriptio contra Privilegiatum 68.). IV. Contra-

F 2

tra-

Jesu (supra Not. 49. ). Ad ea quæ opponit FIGNATELLI tom. 1. Consult. 223. & 355. item 8. Consult. 8. respondet P. FRIDERICH. tr. de Decimis n. 233. seq. & n. 242. seq. Videri potest Responsum circa talem causam datum apud P. ANT. SÖLL de Decim. Noval. a n. 176. Et novissime juxta hoc Privilegium Societatis, signanter quoad Decimas Novalium, pronuntiatum est Romæ ab Ill. Auditore Cameræ, Joan. Constantio Caracciolo, in favorem Collegii Friburgensis in Brisgoja contra Parochum M. 26. Martii 1757.

66.) C. 2. de Eccles. ædif.

67.) C. 9. de Decim.

68.) C. 6. & 15. de Privileg.

traria partium conventionem & pacto, quod debito modo, ac cum requisita solennitate factum est.

*Consuetudine:* §. 51. Alter modus obtinendi exemptionem a præstandis Decimis, est *Consuetudo*. Multi Doctores, illi præcipue, qui obligationem ad Decimas ex Jure Divino deducunt, talem Consuetudinem non admittunt. Dum autem perpendunt, etiam in Italia, sciente & tolerante Pontifice, Decimas non dari Clericis & Ecclesiis, variis responsionibus implicant magis, quam solvunt quæstionem 69.). Ex principiis supra positis, communissime permittitur aliquid Consuetudini circa Decimas, vel  
omni-

---

69.) ANTONIUS DE BUTRIO in C. Parochianos. 14. de Decim. pensatis omnibus in utramque partem, denique scribit: *unde breviter nescio quid dicam, nisi quod omnes damnamur non solvendo.* ANDREAS Hispanus, Episcopus Ajacensis in Regula Decimarum quæst. 1. n. 17. de iis, qui non solvunt integras Decimas, dicit: *omnes tales sunt filii perditionis, non obstante quacunque consuetudine, imo verius usurpatione & violentia, & sunt in statu damnationis æternæ.*

*Quinam &c teneantur ad Decim. 85*

omnino tollendas, vel saltem immi-  
nuendas; cum earum collectio per-  
tineat ad Disciplinam Ecclesiasticam,  
quæ non ubique, nec omni tempo-  
re est eadem: modo aliunde ex bo-  
nis Fidelium & Reditibus Ecclesiasti-  
cis honesta sustentatio suppetat Cle-  
ricis, ita tamen, ut Ecclesia semper  
habeat potestatem tollendi istam  
Consuetudinem, & imperandi De-  
cimas. Debet autem Consuetudo  
esse rationabilis, & legitime præ-  
scripta, saltem quadraginta annis  
continuata. Multo facilius potest  
introduci Consuetudo non solvendi  
Decimas ex certo genere fructuum,  
sicut hodie plerumque non solvun-  
tur Decimæ personales: item solven-  
di huic vel alteri Ecclesiæ: solvendi  
in pecunia, vel alia specie. Si du-  
bia est consuetudo loci particularis,  
attenditur consuetudo loci vicini,  
vel prædominantis. Consuetudo ta-  
men non debet extendi ad non soli-  
ta: ideo se non extendit ad Nova-  
lia.

§. 52. Tertiusmodus est *Præscriptio, Præscri-*  
*vi* cuius non solum Clerici, sed etiam *ptione* :  
Laici se liberare a Decimis solvendis  
possunt, quoad quotam, vel etiam

integram Decimam, ut omnino nihil solvant, cum etiam Laici hujus immunitatis, utpote quæ nihil spirituale continet, sint capaces. Contra Parochiam requiruntur 40. anni cum titulo; sine hoc, tempus immemorabile: contra alium, cui jure communi Decimæ non debentur, sufficit tempus ordinarium cum titulo, quadragenarium sine titulo.

*Pactum, Transactio, &c.*      §. 53. Quartus modus se eximendi a solvendis Decimis, est *Pactum* de non petendo, *Transactio*, *Compositio*, gratuita remissio, de præteritis, vel futuris. Parochus vel Beneficiarius non potest per tale pactum præjudicare suis successoribus sine consensu Episcopi: si autem esset compositio gratuita, præcipue cum Laicis, requirerentur etiam aliæ solemnitates alienationibus propriæ, dummodo Clericis aliunde ex Reditibus Ecclesiasticis sufficienter provisum sit de honesta sustentatione. Laicus Decimator non indiget consensu Superioris, nisi Decimas habeat in Feudum. Potest etiam super Decimis Ecclesiæ non solvendis fieri *Transactio* pro pretio temporali, quia hæc immunitas non est aliquid spirituale, sed

*Quinam &c. teneantur ad Decim. 87*

sed præcise convenitur de fructibus ex proprio fundo non solvendis. Quæ autem dicuntur de plena immunitate a dandis Decimis, multo magis intelligenda sunt de immunitate partiali, vi cuius loco Decimarum detur pars vigesima, vel Decimæ non præstentur ex certo frugum genere &c.

§. 54. Qui ex prædictis tenentur *Ex qui-*  
ad Decimas, solvere quidem *Persona-*  
*les*, si essent in usu, deberent ex om-  
*bus*  
nibus lucris, quæ active ex opere, labore, studio & humana industria vere ac juste acquiruntur 70.) : si acquisitio esset *injusta*, non debentur exinde Decimæ, sed obligatio est restituendi : si esset *turpis*, Ecclesia non vult acquirere Decimam, ne tales actiones videatur approbare. *Reales*

F 4

au-

---

70.) Unde Decimæ personales non debentur de iis, quæ ex Donatione, Hæreditate, successione, Legato, Eleemosyna acquiruntur : quia ista bona non sunt fructus rerum, vel actionum humanarum ; nec homo illa proprie acquirat, sed illa potius acquiri homini dicuntur, qui se moraliter passive habet ad hujusmodi acquisitionem.



autem solvendæ sunt ex omnibus corporalibus fructibus & proventibus rerum mobilium & immobilium. Si terra pluries in anno fructificet, de singulis Decimæ solvendæ sunt. Excipiuntur autem res minutissimæ, quæ ex privatis hortis, vivariis domesticis &c. percipiuntur, non ad lucrum, sed ad usum quotidianum & commoditatem propriam. Hinc Parochi habent hortos, ut non debeant exigere minuta olera a Parochianis; nam minimas Decimas exigere, sapit avaritiam.

*Solven-  
dæ sint  
Deci-  
mæ?*

§. 55. Quamvis igitur regula generalis sit, Decimas esse solvendas omnium proventuum ex rebus fructiferis, vel actionibus humanis obtentorum: nihilominus varia particularium locorum Consuetudo determinat, ex quibus rebus pendendæ sint Decimæ 71. ). Ut autem aliqui Canones rite intelligantur, sequentia notari possunt. Quando solvendæ dicuntur Decimæ ex *Api-  
bus*

71.) In districtu Ingolstadiensi, ubi hæc scribuntur, non dantur Decimæ sceni: in vicinis vero locis Ditionis Eustetensis illæ solvuntur.

*Quinam &c. teneantur ad Decim. 89*

bus 72.) ; intelligitur id de earum  
cera & melle. De *Pascuis* 73.) cen-  
sentur solutæ, data Decima pretii,  
si pratum ad pascendum locetur, vel  
si herba colligatur in fasciculos, vel  
exsiccetur in fœnum & vendatur.  
De fructibus animalium domestico-  
rum solent solvi Decimæ, scilicet  
agni, vituli, pulli. Ex lacte, bu-  
tyro, caseo &c. consuetudo horum  
locorum non patitur exigi Decimas.  
Adeps & sebum, ex quo fiunt can-  
delæ, non sunt fructus, sed partes  
animalium, sicut etiam pelles: unde  
non possunt inde peti Decimæ. In-  
super æquitas non videtur permit-  
tere, ut de eadem re duplex Deci-  
ma solvatur: si quis igitur ex fœti-  
bus ovium Decimum agnum accipit,  
non potest petere Decimam partem  
lanæ ex iisdem ovibus tonsis, uti  
etiam non exiguntur ex baccis simul,  
& ex oleo; ex manipulis frumentî  
in agro, & dein ex granis in hor-  
reo; ex uvis & postea ex vino 74.).

F 5

De

72.) C. 6. de Decim.

73.) C. 4. eod.

74.) Contraria consuetudo in his vix ef-  
fet probanda. vid. FEVRET de l'Abus  
tom.

De feris Silvestribus nihil solvitur, donec capiantur: tunc autem si Decima pars pretii exigatur, erunt potius Decimæ Personales, deductis expensis ex venatu, piscatione, aucupio solvendæ, ubi in usu sunt. Quæ quis autem capit ad proprium alimentum, non subjacent Decimis; quia hæc animalia non sunt fructus, sed res fructifera: consequenter nec debentur Decimæ Prædiales, quæ supponunt fructus rei; nec Personales, quæ supponunt lucrum ex propria actione.

§. 56.

---

tom. I. lib. 4. c. 8. n. 3. si conductor prædii jam solvit in agro decimum manipulum, dein conventam partem tritici aut pecuniæ tradit locatori, an ex hac ipsa sua portione locator solvere debeat Decimas, aut potius reddecimas, disputant Doctores Hispani. Vid. GUTIERREZ pract. quæst. p. I. q. 18. & 19. similiter ex locato molendino, venatione, lapidicina, fodina metalli &c. solvendæ essent Decimæ prædiales: an autem conductor ex actione sua propria lucrum capiens, teneretur ad personales reddecimas, dependet ex consuetudine.

*Quinam &c. teneantur ad Decim. 91*

§. 56. Obligatio offerendi DEO <sup>Quomo-</sup>  
Decimas incumbit Fidelibus, etiam-<sup>do?</sup>  
si illæ non exigantur, nisi alia vi-  
geat consuetudo : nam ubi solent  
præstari sine exactione, ipsa consue-  
tudo interpellat pro homine. Ne-  
gligentes excitandi sunt, ut satisfaciant  
Religioni erga DEUM, & Præ-  
cepto Ecclesiæ; compensentque defe-  
ctum, priori anno circa Decimas ex  
perceptis fructibus non solutas ad-  
missum, nisi forte prudenter potue-  
rit præsumi liberalis remissio, sicuti  
S. Paulus remisit præstationem ali-  
mentorum 75.). Solvendæ autem  
Decimæ sunt integræ sine diminutio-  
ne 76.), non deductis expensis &  
oneribus 77.). Satisfacit Colonus  
obli-

---

75.) ANTONIUS FABER lib. I. tit. 2. def.  
66. ait, Decimas suo tempore non pe-  
titas, postea pro annis præteritis peti  
non posse, quasi tacito iudicio remissas.  
Et ita iudicatum dicit in supremo Sa-  
baudiæ Senatu. Verum ejusmodi remis-  
sio communiter præsumi non potest,  
nisi circumstantiæ personarum aliud  
suadeant.

76.) C. 4. 5. 8. 21. 23. & 32. de Decim.

77.) C. 26. 28. 33. ibid. Intelligenda hæc  
sunt de Decimis *Prædialibus*; nam *Per-*

obligationi Decimarum prædialium, si Decimos quosque manipulos separatos in agro dimittit, quos Parochus propriis expensis ad horreum suum defert, quod in his locis passim fieri solet. Ubi vero consuetudo viget fruges decimandi in horreo, vel in manipulis, vel in granis jam excussis, aut assignandi Decimam quamque striam agri, fructibus adhuc pendentibus, ea servari debet, ut etiam consuetudo Decimas horreo Decimatorum inferendi sumptibus Colonorum: vel etiam dandi pretium loco fructuum, nisi constet illud prioribus annis esse solutum titulo locationis, aut venditionis. Si separatis Decimis manipulis, nonnulli supersint, vix decet, ut isti residui in minores partes dividantur, vel sequenti anno  
 nume-

---

*sonales*, ubi in usu sunt, solvuntur ex lucro, quod non intelligitur, nisi deductis expensis. In prædialibus autem Decimis considerantur fructus a Deo dati ex modico semine, ita ut uni facile respondeant decem aut plura: econtra in negotiatione plerumque *vix unum* respondet pro decem.

*Quinam &c. teneantur ad Decim. 93*

numeratio continuetur 78.) : oportet tamen numerationem manipulorum continuari ab uno agro ad alium ejusdem Coloni, ab una sorte frumenti ad eandem sortem.

§. 57. Decimæ Prædiales statim *Quando?* post collectos fructus solvendæ sunt. Decimæ ex foetibus animalium præstantur, & ad ædes Parochiales deportantur, cum a lacte depulsi sunt, & sine matre nutriri possunt. Decimæ autem Personales, ubi in usu sunt, debentur in fine cujuslibet anni.

TITULUS V.

DE SUBJECTO ET JUDICIO  
DECIMARUM.

*Confer. ut in præcedentibus Titulis.*

§. 58.

DECIMÆ ex primæva sua inter *Deci-* Christianos origine sponte *mas col-* ferebantur DEO, scilicet ad *ligit Ad-* tum DEI promovendum. *Langue-* *mini-* *scente*

---

78.) Jure Bavarico id prohibetur. *Cod-*  
Bay. Civil. p. 2, c. 10. §. 13.

strator  
Redi-  
tuum  
Eccle-  
siastico-  
rum:

scente Fidelium pietate, Pontifices & varia Concilia demum sub præcepto imperarunt Decimas, earumque administrationem reliquerunt Episcopis, & post divisionem Beneficiorum etiam aliis Clericis, tum ad eorum sustentationem, tum ad alios pios usus, ad quos applicari reliquas Oblationes dudum Sacri Canonones statuerant. Illis igitur solvendæ sunt Decimæ, quibus Redituum Ecclesiasticorum administratio commissa est, præcipue si his ipsis ob Curam spiritualem populo impendendam assignata est sustentatio ex Decimis recipienda. Unde Decimæ dicuntur fundatæ in titulo & jure spirituali, cum pleræque colligantur tanquam stipendium vitæ ab iis, qui operam suam pro salute animarum collocant.

Episco-  
pus:

§. 59. Episcopus, divisus Parochiis, percipit Decimas Parochiæ suæ propriæ, scilicet Ecclesiæ Cathedralis 79.). Hæ solent spectare vel ad Episco-

---

79.) Nomen *Parochiæ* olim sumptum fuisse pro tota Dicecesi, notavi de Hierarch. Eccles. tit. 31. n. 84. cui addi potest c. 3. &

*De Subiecto &c. Decimarum. 95*

scopum, vel ad Capitulum: si pertineant ad Capitulum, dividuntur inter Canonicos. Ab eodem Episcopo percipiuntur Decimæ ex prædiis, quæ non sunt intra fines cujusdam Parochiæ particularis: item spectato Jure communi quarta pars omnium Decimarum suæ Diœcesis 80.): quæ *Quarta* hodie in plurimis Diœcesibus vel Consuetudine, vel Præscriptione, vel ultronea Episcoporum cessione sublata est, cum aliunde ipsis sufficienter provisum sit, & in multis Parochiis fere totas Decimas soli percipiant: quod haud dubie

---

& 10. IX. q. 2. præsertim in causa Decimarum vox ista hoc sensu sumitur in Diplomate, quod habetur apud MERCHELBECK Hist. Frising. tom. 1. part. 1. fol. 273.

80.) C. 4. de Præscript. In Excerptio. EGBERTI *Eboracensis* Archiepiscopi nulla fit mentio hujus Quartæ Episcopalis: sed Can. 5. Decimæ dividi jubentur in tres partes, ut Sacerdotes *ad ornamentum* Ecclesiæ primam eligant partem: secundam autem *ad usum pauperum atque peregrinorum*: tertiam vero sibimet ipsis reservent. HARDUIN. tom. 3. col. 1962.



bie inde contingit, quia tales Parochiales Ecclesiæ posterioribus temporibus fuerunt erectæ, quando Decimæ horum districtuum jam Episcopali Mensæ fuerant applicatæ. Habet tamen Episcopus per totam suam Diœcesin jus aliquod eminentius, quam Parochus, vi cuius potest exigere Decimas nomine Ecclesiæ Parochialis, si Parochus non adsit, vel negligat.

Parochus:

§. 60. Regulariter debentur Decimæ Rectoribus & Administratoribus illarum Ecclesiarum, seu Casarum piarum ad Cultum Divinum ordinarum, quibus legitima autoritate assignatæ sunt 81.). Postquam enim  
non

---

81.) In Concilio CONFLUENTINO Anno 922. præsentibus Carolo Franciæ, & Henrico Germaniæ Regibus habito, cap. 5. sic statuitur: *Si Laici Capellas proprias habuerint, a ratione & autoritate alienum habetur, ut ipsi Decimas accipiant; & inde canes, aut geneciaras suas pascant: sed potius Presbyteri Ecclesiarum eas accipiant, & inde restaurationem Ecclesiarum, & luminaria, & hospitium ac pauperum receptionem exhibeant, & pro sancta Ecclesia, ac pro statu Regni*

*De Subiecto &c. Decimarum. 97*

non solum Parochiæ, sed etiam alia Beneficia Ecclesiastica diuisa sunt, & Episcopi administrationem Redituum ipsis Beneficiatis & Parochis reliquerunt; necessario debuit singulis congrua sustentatio assignari, siue ex Decimis, siue ex aliis Reditibus: quicumque igitur fructus Decimarum pro suis alimentis assignatos habet, illi debentur Decimæ, siue sit Parochus, siue Beneficiatus non Curatus; cum non solum illi, qui Sacramenta administrant, & Verbum DEI prædicant, sed ij quoque sint Ministri Ecclesiæ, qui titulo Beneficii, & ex Officio inserviunt Choro & Altari pro salute populi.

§. 61. Quando vero Decimarum *pro quo* quarundam destinatio dubia vel incerta est, Parochus dicitur ad eas *stat præsumptio* *ha-* *Juris,*

---

*qui, Dei misericordiam studiose implorant. Similia statuuntur in Concilio METENSI Anno 888. Can. 2. Uniuersim notandum est, Sacros Canones de colligendis Decimis statuentes, si non sæpius, saltem toties mentionem facere de pauperibus, quoties nominant Clericos.*

*De Jure Rer. Eccles. Pars poster.*

habere intentionem fundatam in Jure, quia Decimæ, aliis Beneficiis non annexæ, censentur deberi Ecclesiæ Parochiali, cui præprimis incumbit Cura animarum 82.): Parochus autem tanquam Rector illius habet administrationem Redituum Ecclesiasticorum, consequenter etiam Decimarum, quæ non sciuntur alteri cuidam determinato Beneficio assignatæ. Unde illi, qui Decimas solis Parochis deberi dicunt, intelligendi sunt de Decimis, post alia Beneficia sufficienter dotata residuis, quæ Parochorum administrationi competere censentur 83.). Mala  
vita

---

82.) In Concil. CABILLO. II. Anno 813. Can. 19. questi sunt quidam Fratres, quod essent Episcopi & Abbates, qui Decimas non finerent dari Ecclesiis, ubi illi Coloni Missas audiunt &c.

83.) In multis locis Decimæ jam Episcopali Mensæ, vel Monasterio, vel alteri Piæ Causæ applicatæ erant, antequam Parochus proprius constitueretur: ibi igitur debile est argumentum, quod Parochus habeat intentionem fundatam in Jure ad Decimas; nisi forte per Parochiam intelligatur Diœcesis.

*De Subjecto &c. Decimarum.* 99

vita Parochi non obest juri Decimarum 84.) : bene tamen neglectus Officii & sacri Ministerii 85.). An etiam Clerici divites, & ex patrimonio vivere valentes, possint percipere Decimas, eadem ratione resolvitur, qua de aliis Reditibus differitur (infra Tit. VII. de Pecul. Cler. §. 100).

§. 62. Si plures sint Ecclesiæ Pa- *In præ-*  
rochiales, quæ possent prætere *diis sui*  
Decimas, communiter dicitur, quod *distric-*  
Decimæ *Personales*, ubi in usu sunt, *tus.*  
debeantur illi Parochiæ, in qua quis  
domicilium habet, & Divina perci-  
pit: *Prædiales* autem illi, intra cujus  
fines prædia sita sunt 86.): quod  
prudentissime ordinatum est, ut ju-  
ra Ecclesiarum firma & immutabilia  
permanerent. Si Ecclesia alia sit Pa-  
rochialis, alia Baptismalis, Decimæ  
debentur Parochiali. Ex fœtibus,  
G 2 aliis-

---

84.) C. 26. de Decim. Propositio 18. Wi-  
cleffi damnata.

85.) In Capitulari I. Anni 805. c. 6. actum  
est *de his, qui Decimas quidem assumunt,*  
*& de Ecclesiis non curant, ut omnimodis*  
*emendetur.*

86.) C. 13. de Decim. C. ult. in fin. de  
Paroch. C. ult. de Restit. spoliat. in 6.

aliisque fructibus cicurum animalium Decimæ solvuntur Ecclesiæ, intra cujus fines illa pascuntur, & nutriuntur. Si pascantur intra fines plurium Parochiarum, vel in una pascantur, in altera stabulentur, Decimæ essent dividendæ: in his tamen plurimum potest consuetudo.

*Religiosis non debentur vi sui status.*      §. 63. Religiosis de Jure communi & vi sui status non debentur Decimæ, uti neque Clericis non habentibus Beneficium Ecclesiasticum. Quidquid enim isti pro salute populi faciunt, id non ex speciali Ecclesiæ destinatione præstant, sed ex propria voluntate se ad ea applicant: unde Decimæ non aliter ipsis debentur, ac aliis pauperibus de Ecclesia bene meritis, illis præcipue, qui ex Instituto suo Clericales functiones obeunt, & Parochis adjumento sunt. Possunt tamen Religiosis & aliis Clericis competere Decimæ ex ordinatione Ecclesiæ, ex Privilegio vel Fundatione &c.

*Cui debeantur Novalis proprie dicte,*      §. 64. Decimæ Novalium proprie dictorum, de Jure communi pertinent ad Parochiam, in qua fiunt Novalia, tametsi alius habeat jus colligendi Decimas antiquas, nisi iste ratione

*De Subjecto &c. Decimarum.* 101  
tionabilem causam ostendat colligendi etiam Decimas Novalium 87.). Talis causa esset, si non integer fundus, sed solum aliqua pars agri de novo colatur; tunc enim qui Decimas hucusque collegit ex agro, colliget deinceps etiam ex illius parte recens culta, quia eadem res non debet diverso jure censerī 88.): vel si Persona Ecclesiastica per tempus longissimum aut immemorabile sit in possessione colligendi Decimas etiam ex Novalibus quibuscunque. Privilegium autem decimandi non extenditur ad Decimas Novalium, uti neque Præscriptio, vel Consuetudo, nisi hæc expresse versentur circa Novalia 89.).

G 3

§. 65.

---

87.) C. 29. de Decim.

88.) C. 30. ibid.

89.) In Bavaria ex antiqua Consuetudine Decimæ Novalium primo triennio debentur Parocho: annis sequentibus illi, qui Decimas antiquas in illo districtu colligit. Cod. Bav. Civil. p. 2. c. 10. §. 10. Controversia sæpe movetur, an Decimæ Novalium debeantur Vicario, qui actualem curam animarum exercet, an vero Parocho habituali, seu

Pri

*Et im-  
proprie  
dicta.*

§. 65. Quoad Novalia improprie dicta, ubi scilicet ratio culturæ mutatur, attendendum est, an præter Parochum cuidam debeantur Decimæ ex certo genere fructuum, an ex certis fundis? In priore casu, qui subesse præsumitur, quando quis in certis quibusdam fundis vi Privilegii colligit Decimas e. g. Fœni, vini &c., mutatio culturæ mutat etiam Decimatorem, secus in posteriore. Si tamen per talem variationem nimis gravaretur Parochus, compensatio ipsi facienda esset ab eo, qui Decimas ex fundo aliter culto colligit 90.). Idem dicendum, quando fundus, qui ferebat prius fructus decimabiles, nunc mutata cultura, proferat fructus ex consuetudine non decimabiles, quales sunt alicubi fœnum, asparagi &c.: horum enim fructuum Decimæ in his locis non essent solvendæ, nisi forte ob læsam.

---

Primitivo, e. g. Monasterio, cui incorporata est Ecclesia Parochialis. Videri meretur VAN ESPEN in singulari Differtatione de pristinis Altarium Incorporationibus.  
90.) C. 9. de Decim. C. 2. §. 2. eod. in 6.

*De Subiecto &c. Decimarum. 103*

laxam Parochi congruam sustentationem compensatio esset facienda.

§. 66. Hucusque de jure ordinario *Jure* decimandi: jure *extraordinario* idem jus *extra-* nonnunquam possident Personæ *Ec-ordina-* *clesiastica*, nonnunquam *Laica*. *Eccle-* *ri-* *o per-* *sonæ* vel *Comunitates* *pos-* *veniunt* sunt jus Decimarum acquirere per *ad quos-* *Trans-* *actionem* 91.), *Compromissum*, *dam Ec-* *Privilegium Pontificis*, *Unionem*, *clesiasti-* *Consuetudinem* & *Præscriptionem* *cos:* quadraginta annorum cum titulo, vel immemoriam sine titulo. Monent plerumque Autores, curandum esse, ut nulla interveniat Simonia, aut pretium temporale, si agatur de ipso jure Decimarum formaliter sumpto: sed juxta dicta (Tit. III. §. 42.), eadem est ratio Decimarum, & aliorum Bonorum, ex quorum proventibus sustentatio Ministris Ecclesiæ est assignata. Præmissa enim cura, ne congrua Ministrorum Ecclesiæ sustentatio nimium diminuatur, caveri debet, ut in alienatione Decimarum interveniat justa causa, evidens Ec-

G 4

cle-

---

91.) Transactio super Decimis cum Persona Ecclesiastica potest fieri de assensu Episcopi. C. 2. de Transact.



clesiæ utilitas, autoritas eorum, quorum consensus juxta Ecclesiasticas Leges requiritur, cum aliis solennitatibus. Hac enim ratione Jus decimandi adeo avellitur a titulo spirituali, ut more aliorum prædiorum acquiri possit etiam a Laicis.

*Et Laicos.* §. 67. Variis tamen modis Decimæ in Laicos transferuntur: nonnunquam conceditur ipsis sola utilitas temporalis, seu jus utendi Decimis jam exactis: nonnunquam jus exigendi Decimas ministeriale, seu procuratorium, quo quis exigit nomine vel vice alterius, sed tamen ad propriam utilitatem: quod fit per locationem, per concessionem pro opere Ecclesiæ præstito, pro Cantu in Ecclesia &c. Nonnunquam conceduntur per Infeudationem, vel perpetuam autoritate Pontificis, vel temporalem autoritate Episcopi, qui Decimas etiam antiquitus infeudatas, & linea extincta ad Ecclesiam redeuntes non potest in feudum perpetuum dare, nisi redeant accessorie cum Castro, vel vacante Dignitate, alteri Familiæ concedenda, cui Castro vel Dignitati jam ab  
anti-

*De Subjecto &c. Decimarum.* 105

antiquo Decimæ sunt annexæ 92.).  
Quamvis via Præscriptionis in jure  
Decimarum communiter dicatur Lai-  
cis occlusa; nihilominus ex posses-  
sione immemoriali præsumitur titu-  
lus legalis, & datur Manutenentia,  
saltem si concurrat fama Privilegii  
vel Investituræ.

§. 68. Id universim observatur, *Saltem*  
Laicis plerumque competere solum *quoad*  
jus Decimarum secundarium & quo-*utilita-*  
ad utilitatem, vel procuratorium *tem.*  
nomine Ecclesiæ, remanente penes  
Ecclesiam iure primario & directo.  
Hinc sequitur, non posse Laicos pro  
arbitrio suo disponere de Decimis  
a se possessis, eas alienando, ven-  
dendo aliis Laicis &c.: potest ta-  
men Episcopus concedere, ut alie-

G 5                    nen-

---

92.) Hodie si extincta Linea Familiæ no-  
bilis, Feuda redeant ad Monasteria, vel  
Communitates Ecclesiasticas, quæ non  
sunt immediata membra Imperii; Prin-  
cipes territoriales non solent tolerare,  
ut hæc Feuda maneant penes Eccle-  
siam, sed exigunt, ut alteri familiæ  
Nobili, præcipue Agnatæ, concedan-  
tur. Quo jure hoc fiat, nolumus hæc  
loco discutere.

nentur in aliam Ecclesiam, si infeudatæ fuerant ante Concilium Lateranense. Possunt etiam Laici Decimas legitime sibi infeudatas transmittere in suos Successores juxta naturam Feudi. Hodiernam autem consuetudinem, ejusmodi Decimas a Laicis possessas, pro libitu alienandi, vendendi ad modum Bonorum patrimonialium, vix occurrit congrua ratio salvandi, nisi forte dicatur, Decimas has olim cuidam Laico omnino donatas esse in remunerationem cujusdam beneficii perpetui in Ecclesiam collati, ita ut Ecclesia censeatur tanta utilitate semper frui, quantam attulissent ipsæ Decimæ. Alia ratione non potest præsumi donatio, sed solum infeudatio: multo minus in dubio præsumitur, quod Decimæ sint omnino sæcularizatæ, quæ proin manent onerata, ut ex iis subveniatur necessitatibus Ecclesiæ 93.).

§. 69.

---

93.) BÖHMERUS Tom. 1. Consult. part. I. arg. IV. n. 52. seq. absurdum putat esse, si exigatur, ut Decimatores Laici concurrant ad Ecclesiæ reparationem:

alias

*De Subiecto &c. Decimarum. 107*

§. 69. Decimas Ecclesiasticas de- *Decimæ*  
beri Clericis non solum ex Religio- *debentur*  
ne, sed etiam ex Justitia commuta- *ex Re-*  
tiva, passim dicunt. Magis placet *ligione,*  
opinio eorum, qui tenent, Decimas  
deberi ex virtute Religionis, quæ  
est vera Justitia erga DEum, non  
vero ex Justitia commutativa, quæ  
datur inter homines: nam non dan-  
tur tanquam verum pretium, aut  
merces laboris, quem Clerici gratis  
præstant; sed potius ex Virtute Re-  
ligionis, quia dantur vel in prote-  
stationem supremi Domini DEI;  
vel in sustentationem Ministrorum  
Ecclesiæ; vel ut isti liberius & ex-  
peditius vacent Divinis; vel etiam  
in pauperum subventionem & Ec-  
clesiarum conservationem: hæc au-  
tem omnia Religionem concernunt.  
Quando igitur dicunt Theologi &  
Cano-

---

alias enim etiam Episcopus, Clerici  
& Pauperes possent exinde suam por-  
tionem exigere, ita ut Decimatori ni-  
hil relinquatur. Sed facile responde-  
tur, Decimatores Laicos teneri etiam  
ad subsidium pro dictis causis, in ca-  
su magnæ necessitatis, & in defectu  
aliorum subsidiorum, ita tamen, ut ipsi  
non incidant in æqualem indigentiam.

Canonistæ, Decimas deberi ex Justitia, intelligi potest Justitia erga DEUM, cui Fideles debent Cultum & sustentationem Ministrorum; sicuti qui vovit dare Eleemosynam Titio, tenetur illi hanc dare, non ex Justitia ad Titium, sed ex Religiosa Justitia ad DEUM 94.). Unde Clerici mediate acquirunt jus exigendi Decimas, simulque jus privativum impediendi alios a Decimarum collectione: Prælati autem Ecclesiæ possunt compellere renuentes ad eas solvendas; ut satisfaciant DEO, ejusque Cultum promoveant.

*Quæ est Summa Justitia erga DEUM.*      §. 70. Si assertio hac ratione explicetur, non habebit tot Adversarios, quot prima fronte illi videntur oppositi. Multorum locutiones nec

---

94.) Hic sensus est Concilii TRIDENTINI Sess. 25. c. 12. de Reform. *cum Decimarum solutio debita sit Deo: Et qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt.* Ubi res aliena vocatur, quæ debita est Deo, ita ut retinens Decimas, peccet contra Justitiam, qua Deo obligatur: hæc autem aliæ non est, quam Virtus Religionis,

*De Subiecto &c. Decimarum.* 109

nec præcisæ, nec satis claræ sunt. Vel enim supponere videntur, Decimas unice & quidem immediate ex natura sua destinari ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ: vel omnia ea, ex quibus sustentari hi Ministri solent aut possunt, intelligunt sub nomine Decimarum. Ex utrovis loquendi aut sentiendi modo multas oriri æquivocationes necesse est: unde nulla cum ejusmodi viris miscenda est disceptatio. Dein imperceptibile est, intercedere Justitiam commutativam (alia enim Justitiæ species huc applicari non potest) inter Colonum & Parochum, nisi dicatur, deberi Decimas Parocho tanquam veram & proprie dictam mercedem, pretium, & æqualem compensationem pro functionibus Parochialibus, eo prorsus modo, quo debetur merces ædituo sæculari pro obsequiis profanis Ecclesiæ præstitis 95.): hæc autem phrasis propitio Numine nunquam irrepet in istud opusculum. Censentur itaque plerique Scriptores  
cum

---

95.) Vid. PASSERINUS in 6. Decretal.  
tit. de Decimis n. 20. seqq.

cum Concilio Tridentino intelligere Justitiam erga Deum, seu Religionem 96.), quæ non solum ad Decimas dandas obligat, sed si negatæ fors fuerint, etiam ad restituendas illi, cui legitima autoritate Ecclesiæ fuerunt pro sustentatione assignatæ. Cum igitur debitum, quod ex virtute Religionis oritur, sit altius, fortius & validius, quam sit debitum Justitiæ commutativæ, sufficiatque ad hoc, ut Decimæ solvantur; & si opus sit, renuentes solvere Decimas ad id compellantur; ideo superflue & sine sufficiente ratione, Justitiæ erga Deum adderetur debitum Justitiæ commutativæ inter homines.

*Cujus  
autori-  
tate pos-  
sint exi-  
gi?*

§. 71. Igitur Decimator privatus, qui Jurisdictionem forenssem non habet, non potest propria autoritate eas per vim auferre, aut morosos debitores per denegationem Sacramentorum ad solutionem compellere: potest autem, quando piæ adhortationes non proficiunt, Officium Judicis

---

96.) S. THOMAS 2.2.q.80. & q.81.art.5. ostendit, quod Religio sit pars justitiæ, quæ debitum cultum Deo deferimus.

*De Subjecto &c. Decimarum.* III

dicis implorare. Ad evitandam terminorum confusionem bene distinguendum est inter finem, ad quem Decimæ sunt institutæ; inter jus vivendi ex Decimis; & inter jus Decimas exigendi & administrandi. Finis est Cultus Divinus & pius usus Ecclesiæ: jus vivendi ex Decimis competit illis, quibus collectarum Decimarum portio pro sustentatione assignatur: jus exigendi & administrandi pro variis temporibus penes varios fuit, sicuti administratio aliorum Bonorum Ecclesiæ. Unde Clerici ex eo solo, quod debeant sustentari ex Decimis, non habent jus exigendi & administrandi Decimas: sicuti etiam pauperes, quibus per plurimos Canones assignatur sustentatio ex Decimis, non habent jus illas exigendi & administrandi: illi autem qui administrant Decimas, obligantur illis subvenire.

§. 72. *Causa Decimarum diversimode in Judicium deduci potest. fructibus Decimarum, vel de jure decimandi.* Ipsi fructus decimales vel sunt jam separati a reliquo cumulo; & repetuntur *Rei Vindicatione* a quocunque detentente



tentore, cum eorum dominium plenum, & proprietatem jam acquisiverit Decimator: vel nondum sunt separati a reliquis fructibus; & repetuntur *Conditione ex Canone 97.*), cum jus plenum ad illos nondum acquisiverit Decimator. Unde si fructus nondum decimati transferuntur in alium, transit etiam onus Decimarum 98.) potestque agi non solum contra venditorem, sed etiam contra emptorem, tum ratione rei detentæ, tum ratione irreligiøsæ retentionis: si vero mala fide eripiantur, destruantur &c. restitutio facienda esset domino; & ab hoc postea Decimæ præstandæ. Datur enim in Foro spirituali Ecclesiæ, quod salutem animarum & Dei cultum respicit, actio ad omne id, ad quod Virtus obligat, & præcipue ad id, ad quod obligat Religionis Virtus, quæ est altissima Justitia ad Deum: & ideo Ecclesia habet Jurisdictionem, ut  
com-

---

97.) *Si obligatio lege nova introducta sit, nec cautum eadem lege, quo genere actionis experiamur, ex lege agendum est.*  
L. un. ff. de condict. ex lege.

98.) C. 28. de Decim.

*De Subiecto &c. Decimarum. 113*

compellat ad solvendas Decimas; & Clerici habent actionem ex Lege Divina & Canone.

§. 73. Si lis versatur circa proprietatem *Juris* decimandi, veteres & servitutibus communes Actiones institui licet, cum proprias Sacri Canonones non suppeditent 99.), scilicet *Confessoriam*, vel *Negatoriam*. Si agatur in *Possessorio Juris* decimandi, locum habet vel *Interdictum Adipiscendæ ex Officio Judicis*, allegando *Parochialitatem*, vel titulum possessioni transferendæ idoneum: vel *interdictum Retinendæ uti possidetis*: vel *Interdictum Recuperandæ ex Cap. sepe contingit. penult. de Rest. spoliat.* Laicus tamen spoliatus Decimis a Parocho, vel a *Causa pia*, cui Parochia est incorporata, non est restituendus, antequam titulum e. g. *Donationem* aut *Concessionem in Feudum* a summo Pontifice factam, vel im-

H memo-

---

99.) *Quoties lex obligationem introducit nisi si nominatim caverit, ut sola ea actione utamur, etiam veteres eo nomine actiones competere. l. 41. pr. ff. de O. & A. De Jure Rer. Eccles. Pars poster.*

memoriale tempus suæ quasi possessionis ostendat: restituitur autem contra Laicum spoliante[m], imo etiam contra Clericum vel Monasterium, cui jure communi Decimæ non debentur. Clericus spoliatus a Parocho, non restituitur, donec constet de titulo, aut tituli præsumptione e. g. Privilegio, Investitura, Incorporatione, Præscriptione, Consuetudine, Transactione, Compromisso, Permutatione: tunc enim non datur restitutio, quando jus resistit spoliato, & assistit spolianti 100. ). Parochus autem tam in Possessorio, quam in Petitorio in Causa Decimarum ad aliud probandum non tenetur, quam se esse Parochum, saltem in iis locis, ubi administratio Redituum Ecclesiasticorum Parocho commissa est. Si Parochiani allegant Præscriptionem, Consuetudinem, Privilegium, vel Compositionem pro Immunitate a solvendis Decimis, Parochus est in suo jure manutenendus, donec illi probent allegatum titulum, vel immemoriam quasi possessionem : si  
non

---

100.) C. 2. de Restit. spoliat. in 6.

*De Subjecto &c. Decimarum. 115*

non probent; condemnantur ad Decimas non tantum futuras, sed etiam præteritas solvendas: habebitque interposita Appellatio effectum devolutivum, non tamen suspensivum, saltem quoad Decimas futuras: uti etiam quando Laicus contendit cum Parocho super jure decimandi, nisi titulum Privilegii, vel Feudi ab Ecclesia concessi, saltem præsumptive ex quasi possessione immemoriali ostendat, Si autem de ipso jure decimandi contendunt inter se plures Ecclesiæ, Appellatio habebit etiam effectum suspensivum.

§. 74. Curandum summopere, ut *Defe-*competens a deatur Judex. Si Cleri-*renda est*cus quidem conveniatur, aliunde ra-*ad com-*tionem Personæ conventæ notum est, *petentem*Judicem competentem esse Ecclesia-*Judi-*sticum, non tantum in Petitorio, *cem.*sed etiam in Possessorio, aut de mero facto. Quando autem Ecclesiæ agit contra Laicum, Causa Decimarum, ratione suæ naturæ privative spectat ad Judicem Ecclesiasticum tam in Petitorio i.), quam in Possessorio,

H 2

sorio,

---

i.) Unde Camera Imperialis non admittit Appellationem in Causa Decimarum  
in

torio, non solum quando de recuperanda vel acquirenda, sed etiam quando de retinenda possessione agitur, vel de mero facto decidendo 2.). Si tamen agatur de facto liquido, adiri etiam potest Judex Laicus, non quidem ut cognoscat causam, sed ut debitorem Decimarum Laicum compellat ad solutionem, vel restitutionem 3.). Quando Decimæ ab Eccle-

---

in Petitorio. ANDR. GAILL. lib. I. observ. 38. MYNSINGER. Cent. I. observ. 100.

2.) Concilium INGELHEIMENSE Anno 948. can. 9. sic statuit: *Ut Decimæ, quas Dominus præcipit in horreum suum deferri, si Ecclesiis Dei non fuerint red-dita, sed nefaria cupiditate, quæ seior Ætne ignibus ardet, a secularibus fuerint retente, secularia super hoc non exerceantur judicia, nec in forensibus discutiantur causis: sed in sancta synodo ab ipsis Sacerdotibus, quorum deputata sunt usibus, quid exinde debeat accitari, certis diffiniatur promulgationibus.* Item Synodus AUGUSTANA Ann. 952. cap. 10. *Ut omnis Decimatio in potestate Episcopi sit, & si neglecta fuerit, quidquid inde emendandum sit, coram Episcopo ejusve misse corrigatur.*

3.) GRIMAUDET de Jure Decimar. lib. 3. c. 5. testatur, in Gallia Episcopum & Cler

*De Subjecto &c. Decimarum. 117*

clesia Laicis in Feudum concessæ sunt, solus Judex sacer est competens, etiam in Possessorio, etiam inter Laicos. Unde si Episcopus, qui simul est Princeps Imperii, Decimas olim concessit in Feudum, lis super iis orta non ad Curiam Feudalem profanam ejusdem Episcopi, sed ad Tribunal sacrum pertinet. Idem dicendum, si Decimæ ex Privilegio, vel Donatione ad Laicos pervenissent, quamdiu præsumi potest, jus directum & primarium percipiendi has Decimas manere penes Ecclesiam, ita ut Laici solummodo fructus percipiant nomine Ecclesiæ. Si tamen constaret, Decimas esse penitus secularizatas, & valore Decimarum aliunde Ecclesiis compensato, a titulo spirituali abstractas; tunc Causa hujusmodi Decimarum tractari potest a Judice Laico. Laicus Conductor, vel Emptor fructuum Decimarum conveniri potest coram Judice

H 3

Lai-

---

Clerum Carnutensem primos fuisse, qui contra fraudes colonorum circa solutionem Decimarum impetrarunt Literas Regias Francisci I. Anno 1546. quas integras refert fol. 176.

Laico, vel Ecclesiastico. Quando autem Judex Laicus in Cauſa Decimarum adiri non poteſt, etiam in Arbitrum Laicum compromitti non poteſt. Hæc de Jure communi dicta ſunt.

*Conſuetudines quorundam locorum Germaniæ.*

§. 75. Conſuetudines quarundam Provinciarum Germaniæ plus tribuunt Judici Laico. Et quidem in Bavaria inter Sereniſſimos Duces & Ordinarios conventum eſt 4. ), ut Cauſæ Decimales ad ſæcularem quoque Magiſtratum ſpectent *in Poſſeſſoriis, ubi nuda facti queſtio eſt, nihilque proprietatis admixtum continetur.* Similis conſuetudo paſſim alibi in Germania viget. Porro ubi exercitium Religionis A catholicæ toleratur, ſingulari Conſtitutione Pacis Weſtphaliæ (ſupra Tit. IV. §. 45. ), uti de aliis Reditibus Eccleſiaſticis, ita etiam de Decimis cautum eſt, ut illæ Decimæ, quæ vigore Pacis Religionis 5. ) Statibus

---

4.) Concord. Bavar. Cap. V.

5.) In Pace Religionis Auguſtæ Anno 1555. §. 19. ſtatutum fuerat, ut Bona Eccleſiaſtica a quibusdam Statibus ad Ec-

*De Subjecto &c. Decimarum. 119*

tibus Augustanæ Confessionis ob immediatas vel mediatas fundationes Ecclesiasticas ante vel post pacem Religiosam acquisitas e Catholicorum Provinciis debentur, quarumque in possessione, vel quasi possessione percipiendi An. 1624. die prima Januarii fuerunt, absque ulla exceptione 6.) solvantur... Item Decimæ Augustanæ Confessionis Statibus, fundationibus jam destructis & collapsis, ex alienis territoriis debitæ, iis exsolvantur qui Anno 1624. die prima Januarii in possessione perceptionis vel quasi fuerunt: quæ vero ab Anno 1624. destructæ

H 4

structæ

Ecclesias, scholas, pios & alios usus applicata, quæ non pertinent ad Status immediatos, in ea ordinatione permanent &c. dein §. 21. Ecclesiarum necessaria ministeria, Parochias & scholas, elemosynas & hospitalia, qui ab antiquo tempore ex dictis bonis curare debebant, etiam deinceps ita præstare & providere teneantur, non confiderato, cujus Religionis sint.

- 6.) Ex his verbis *absque ulla exceptione* infert BÖHMERUS tom. I. Consult. part. I. arg. IV. n. 201. quod A catholicis Possessoribus Decimarum non possit obijci



structæ fuerunt, aut in futurum concident, earum pensiones etiam in alienis territoriis Domino destructi Monasterii seu loci, in quo id situm fuit, exsolvantur. Non est hujus loci, ut fusioem Commentarium addamus. Id solum observamus, quando Protestantes Decimas ex quasi possessione anni normalis exigunt, vel dare recusant, iisdem incumbere onus probandi: quando vero lis de ejusmodi Decimis, sive in Possessorio, sive in Petitorio oritur, causam debere deferri ad Tribunal Imperatoris, cum per Pacem Westpha-

---

objici exceptio juris retentionis ob contributionem faciendam ad fabricam Ecclesiæ, quamvis illæ Decimæ, antequam in manus Laicorum devenerint, ad hoc onus destinatæ fuerint. Allegat pro ista explicatione HENNIGES ad I. P. cit. loco. Nescio an hic Autor alio loco hanc observationem suis Meditationibus inserat: certe in Commentario ad hæc verba *absque ulla exceptione* eam non invenio. Contrarium potest inferri per cit. verba Pacis Religionis, ubi Ecclesiis ex his Decimis providendum statuitur, prout antea provisum fuerat.

*De Subjecto &c. Decimarum. 121*

Westphalicam Jurisdictionem Diocesana erga A catholicos suspensa sit. Pro Decimis autem illis consequendis, in quarum possessione Catholici liquide fuerunt Anno 1624. possunt Episcopi contra A catholicos procedere ad Excommunicationem post tertiam denuntiationem 7.), scilicet eos publice ac nominatim excommunicando: qua ratione essent vitandi, & Catholicis omne commercium cum illis prohibitum 8.).

§. 76. *Causa Decimarum, quæ Modus ordinario Jure competunt, est sum-proce-*  
*maria: ubi autem ex pacto, aliove dendi in*  
*Jure speciali debentur, aut inter Lai- Judicio.*  
*cos controvertuntur, Judicio ordi-*  
*nario experiri solemus. Non ad-*  
*mittenda est Compensatio, qua de-*  
*bitor Decimarum negare possit De-*  
*cimas futuras prætextu ejus, quod*  
H § sibi

---

7.) Instr. Pacis Westph. Art. 5. §. 48.

8.) HENNIGES ad hunc §vum ingenue fatetur, se hujus loci sensum, & paciscentium mentem non penitus assequi: sed perpensa notione Excommunicationis publice ac nominatim factæ, facile quivis assequetur.

sibi debetur a Decimatore : posset tamen facilius admitti circa Decimas, quæ præteritis annis solutæ non sunt. In concursu creditorum præfertur Decimator aliis non solum in Decimis jam separatis, sed etiam nondum separatis a reliquo cumulo; quia hi fructus transeunt cum suo onere; si tamen fructus nondum decimati, jam essent consumpti, privilegium prælationis non reperitur datum Decimatori 9.). Judex Ecclesiasticus competens, ex Officio, etiam nemine petente, Fideles debitores Decimarum cogere ad eas solvendas potest & debet, etiam per Excommunicationem, implorato etiam brachio sæculari: incipi autem processus potest a præcepto cum monitione de infligenda pœna Excommunicationis, qua præter pœnas a Deo infligendas, feriendi sunt Decimarum defraudatores; neque absolvendi, nisi plena restitutione secuta; sepultura insuper Ecclesiastica  
pri-

---

9.) Privilegium tale Decimatori multis argumentis adjudicat P. SÖLL de Decim. Noval. a n. 433.

*De Subjecto Eccl. Decimarum. 123*

privandi 10.), & aliis arbitrariis pœnis a Judice sæculari & Ecclesiastico ad ponendam contumaciam compellendi. Excommunicationem in Bulla Cœnæ 11.) latam incurrunt Laici, qui exigunt, usurpant, occupant, sequestrant Decimas, vel ad id auxilium præstant. Ex variis etiam causis excommunicationem incurrunt Religiosi, jubenturque certis diebus in Concionibus Auditores informare, & Confitentes admonere de obligatione solvendi Decimas, si ab Ecclesiarum Rectoribus requisiti fuerint 12.).

§. 77. Hæc nobis sufficere debent *Scriptura*  
de hac frequentissima Decimarum *res de*  
materia, de qua omnes, qui scripse- *Deci-*  
runt Commentaria in Jus Canoni- *mis,*  
cum,

---

10.) Sic communiter extenditur C. 19. de Decim.

11.) Art. 17.

12.) C. 1. de Decim. in 6. Clem. 3. de Pœnis. Antiquior modus procedendi contra eos, qui Decimas negant, videri potest in Legibus LUDOVICI Pii Augusti n. 34. in Corp. Jur. Germ. col. 1208. seq. Item inter Leges Ecclesiasticas Regis EDGARI. apud HARDUIN. Coll. Concil. tom. VI. col. 657. seqq. ad ann. 967.

cum, fufe plerumque agunt Lib. III. Tit. 30. Item in Sexto Decretal. Lib. III. Tit. 13. præcipue PASSERINUS. Dein omnes, qui scripserunt de Jure Ecclesiastico universim, nominatim AUGUSTINUS BARBOSA, PAX JORDAN, VAN ESPEN, GIBERT, P. FRANC. SCHMIER, PETRUS GREGOR. *Tholosanus*. Aut de Beneficiis Ecclesiasticis, uti THOMASSINUS, LEURENIUS. Singulares Tractatus de Decimis ediderunt REBUFFUS, MONETA, ANDREAS HISPANUS, TYNDARUS, GRIMAUDET, HENR. CANISIUS, WERNBLE, LÆLIUS, P. FRIDERICH, P. SÖLL, CHRISTOPH. CHLINGENSBERGER. Aliis suis Tractatibus materiam de Decimis fufius inferuerunt FRANC. SUAREZ de Relig. tom. 1. tr. 2. lib. 1. c. 9. seqq. LUDOVICUS MOLINA & alii, qui scripserunt de Jure & Justitia. Item Theologi Morales, JOANN. AZOR, FERD. DE CASTRO PALAO, JACOBUS ILLSUNG, alique plurimi. Prætereo BŒHMERUM, SCHILTERUM, CARPZOVIVM aliosque A catholicos.



TITU-

TITULUS VI.

DE FIDELI BONORUM EC-  
CLESIASTICORUM ADMI-  
NISTRATIONE.

*Confer. Decreti Caus. XII. Quest. 2.*

§. 78.

QUO sublimiores, Populoque Bono-  
Christiano utiliores sunt fines *rum Ec-*  
illi, ad quos temporalia Bona libe- *clesiasti-*  
raliter in Ecclesias conferuntur, eo *corum*  
major sit oportet cura & sollicitudo, *Admini-*  
fideliter illa beneque administrandi *stratio*  
ad intentionem Fidelium offeren-  
tium, ac Christi has oblationes ac-  
ceptantis. Quantumcunque autem  
hac in re invigiletur, nunquam ta-  
men deerunt, qui aut cum Juda  
loculis infidentur; aut cum Disci-  
pulis de profusione murmurent;  
aut se neglectos conquerantur. Hæc  
vitia Divinus Servator noster tum  
se vivo, tum sub cura Apostolo-  
rum suorum permittere voluit, ut  
futuris Bonorum Ecclesiasticorum  
Administris essent terrori, exem-  
plo, solatio.

§. 79.

*Commit-  
tebatur  
olim  
Diacono-  
nis sub  
autori-  
tate E-  
piscopo-  
rum:*

§. 79. Primum Christianæ Eccle-  
siæ ærarium Judæ proditori com-  
missum fuit dispensandum ex nutu  
ipsius Divini Magistri, in necessita-  
tes Discipulorum, & subsidium pau-  
perum. Post Christi in Cœlos A-  
scensionem, Apostoli Hierosolymis,  
ex collatis in commune Bonis, sin-  
gularum necessitati abunde provi-  
dere curabant, & provisum esse sibi  
persuadebant, cum unum esset cor  
multitudinis credentium & anima  
una, neque quisquam egens esset  
inter illos; orto tamen murmure  
Græcorum de neglectis suis Viduis,  
Apostoli, ut Orationi & Ministerio  
Verbi instare possent, septem con-  
stituebant Diaconos, qui singulis  
necessaria ministrarent 13.). Quam-  
vis autem Bonorum communio in-  
ter Christianos alibi non vigeret, &  
etiam Hierosolymis cessaret, mu-  
nus tamen Diaconorum adeo per  
uni-

---

13.) PAULUS SARPI tr. de Benefic. ob-  
servat, mutatis jam moribus, Prælatos  
Ecclesiæ gerere curam Redituum, &  
munus prædicandi relinquere inferiori  
Clero.

*De fideli Administratione.* 127

universam Ecclesiam invaluit, ut a solis ortu usque ad occasum, Leviticorum luminum coruscante fulgore, quam clarificata est Jerosolyma Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio 14.), qui Oblationes Fidelium in Ministros Ecclesiae & egenos, sub praecipua tamen cura & autoritate Episcoporum distribuerent. Non autem permittebantur vivere ex Reditibus Ecclesiae illi, qui ex Bonis propriis sustentari poterant: unde etiam S. PAULUS prohibebat Viduam Ecclesiasticis obsequiis deputatam ex Ecclesiae Bonis sustentari, cui ab Agnatis & Propinquis subsidium suppeteret 15.).

§. 80. Clerici pauperes ut pluri-*Non tamen* utebantur mensa communi, *men so-* instructa per Diaconos aut Oeconomo-*lis Epi-* mos ex Oblationibus. Auctis Ec-*scopis* clesiae divitiis, multi Clerici com-*sine assi-* modius vivere volebant, instructa *stentia* sibi

---

14.) S. LEO in Natali S. Laurentii.

15.) 1. Timoth. V. 16. *Si quis Fidelis habet Viduas, subministret illis, & non gravetur Ecclesia: ut iis, quae vere viduae sunt, sufficiat.*



Oecono-  
mi.

sibi mensa separata, ad quem finem dabatur ipsis pecunia vel quotidie, vel singulis mensibus, vel etiam pro longiori tempore. Tolerabatur istud a primis SS. Patribus. Sensim etiam ad Episcopos nonnullos pervasit cupido habendi, qui magis sibi, quam pauperibus invigilantes, Reditibus Ecclesiae inhiabant, quod S. Cyprianus deplorat, de iis loquens, qui se Episcopatu indignos fecerant; nihilominus gerere hoc Officium praesumebant ad cumulandas divitias 16.). Cum enim summa in distribuendis Oblationibus & Reditibus autoritas semper esset penes Episcopos, horum aliqui submovebant Clericos Oeconomos, ne testes haberent impiae dissipationis. Unde Concilium Generale CHALCEDONENSE 17.) statuit: *quia in quibusdam Ecclesiis, sicut ad nos pervenit, sine Oecono Episcopi res Ecclesiasticas tractant; placuit, omnes Ecclesias Episcopos ha-*

---

16.) Epist. 64. *Stipes & Oblationes & lucra desiderant, quibus prius insatiabiles incubabant.*

17.) Anno 451. Can. 26.

**De fidei Administratione. 129**

habentes, etiam Oeconomum habere de proprio Clero, qui gubernet Ecclesie res cum arbitrio sui Episcopi, ut non sine testimonio sit gubernatio ipsarum rerum Ecclesiasticarum, & ex hoc eveniat res ejusmodi Ecclesie dispergi, & Sacerdotali dignitati obretractio generetur 18.). Hunc Canonem inviolabiliter custoditum cupit Synodus Nicæna II. 19.), quæ Metropolitanis dat facultatem ponendi Oeconomum in illis Diocæsis, quarum Episcopi id neglexerunt; & Patriarchæ Cpolitano in Ecclesiis Metropolitanorum, qui nullum constituissent 20.).

I §. 8r.

18.) Occasionem huic decreto dedit Ibas Episcopus Edeffenus, qui in eodem Concilio Actione X. accusatus de rerum Ecclesiasticarum dissipatione; etiam ab iis, qui ipsi maxime favebant, persuasus fuit promittere, quod de cetero secundum formam Antiochensæ maximæ Ecclesie gubernarentur res per Oeconomos ex Clero ordinatos ab ejus religiositate. Ibid. Act. IX.

19.) Anno 787. Can. II.

20.) Ad hunc Canonem se refert Alexius Patriarcha Cpolitanus in sua Constitutione, quæ refertur apud LEUNCLAV. Juris

*De Jure Rer. Eccles. Pars poster.*

*Divisio* §. 81. In Ecclesia Occidentali  
*Redi-* majus imminebat periculum dissi-  
*tuum in* pandi Bona Ecclesiarum, postquam  
*quatuor* irruentibus Barbaris plura Regna non  
*partes,* tantum ab Imperio avulsa, sed etiam  
inter se disjuncta fuerant, ita ut Ec-  
clesiæ quoque non eodem ubique  
spiritu, nec communi consilio re-  
gerentur. Deprehenso gravi Bo-  
norum Ecclesiasticorum abusu, Sæ-  
culo V. circa annum 475. famosa  
illa divisio Redituum Ecclesiastico-  
rum in quatuor partes inculcata fuit  
a Simplicio Papa 21.), ut scilicet  
una pars cederet Episcopo, altera  
Clericis, tertia pauperibus, & quar-  
ta Fabricæ Ecclesiæ 22.). Ubi ad-  
vertendum, nequaquam divisa esse  
Bona

---

Juris Græco-Rom. tom. 1. lib. 4. fol.  
250. Multa de Oeconomi munere, ob-  
ligatione rationum Episcopo reddenda-  
rum &c. disposita leguntur in PHOTII  
Nomo-Canone Tit. 9. c. 1. & Tit. 10.  
c. 1.

21.) Epist. 3. vel alibi 2. relata a GRA-  
TIANO c. 28. XII. q. 2.

22.) Eandem divisionem repetit GELA-  
SIUS Papa Anno 494. Epist. 6. fol. 373.  
circa fin. *Quatuor autem tam de Reditu,*  
*quam*

*De fidelī Administratione.* 131

Bona immobilia Ecclesiæ in ejusmodi quatuor partes: sed solummodo insinuatam a Pontifice, ut Oblationes ac Reditus Bonorum Ecclesiæ, qui tunc etiam sub cura & auctoritate Episcoporum administrabantur a constitutis Oeconomis, impenderentur ad hos quatuor fines, non quidem proportionem aliquam arithmetica, sed pro singulorum necessitate, vel meritis 23.). Major utique portio pro Clericis requirebatur, ubi multi eorum erant sustentandi, scilicet in majoribus Ecclesiis

I 2

Civi-

---

*quam de Oblatione Fidelium, prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones: quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, Pauperum tertia, quarta Fabricis applicanda &c. refertur a GRATIANO c. 27. ibid.*

23.) Unde idem Papa GELASIUS c. 23. ibid. monet, ut postquam dictis quatuor finibus satisfactum est, *si quid forte sub annua remanebit expensa, tradatur enthecis. Ut si major emerferit fabrica, sit subsidio, quod ex diversi temporis diligentia potuerit custodiri: aut certe ematur possessio, quæ utilitates respiciat communes.*

Civitatum, quam ubi unus aut alter in angustiis locis Ecclesiæ præerat: Majores utique sumptus in fabricam impendendi erant in celebribus urbibus, quam in modicis oppidis. Per pauperes intelligebantur præcipue pauperes ejus loci, ubi Reditus colligebantur 24.): Peregrinos enim juxta plures Canones tenebatur suscipere Episcopus. Per Fabricam non intelligitur solum ædificium Templi, ad quod confluunt Parochiani, sed etiam ædes Parochi & alia ædificia ad usus Ecclesiasticos aptata. Demum distributio hæc non solum intelligebatur de Bonis eo tempore existentibus, sed etiam de Bonis, Reditibus, Oblationibus, quæ futuris Ecclesiæ temporibus obventuræ essent 25.).

§. 82.

24.) Inter pauperes loci facit discrimen S. GREGORIUS lib. IX. Indict. IV. Epist. 29. ubi in quodam contingente casu, plus assignat *hominibus honestis ac egenis, quos publice petere verecundia non permittit, quam reliquis pauperibus, qui eleemosynam publice petere consueverunt.*

25.) Id optime declarat S. GREGORIUS relatus in Decreto Gratiani C. 29. XII. g. 2.

*De fidei Administratione.* 133

§. 82. Hæc Bonorum Ecclesiasti- *Debet*  
eorum Divisio congruit omnino pri- *adhuc*  
mævo Ecclesiæ spiritui : & hodie- *hodie*  
dum vigorem suum exserere debet *observa-*  
ex Constitutionibus sequentium Pon- *ri:*  
tificum & Conciliorum, quamvis  
administrandi hæc Bona modus sæ-  
pius fuerit immutatus 26.). Nam  
tempore Simplicii Papæ, & aliquot  
post Simplicium sæculis, rerum Ec-  
clesiæ temporalium summa potestas  
in plerisque locis penes Episcopos  
fuit; his autem in administratione  
subsidio ac levamento erant Presby-  
teri vel Archidiaconi & Diaconi Ec-  
clesiæ, qui rationes Episcopis red-  
dere debebant: ipsi autem Episcopi  
unius Dei iudicio obnoxii fuerunt;  
quanquam causam dicere in Conci-  
lio Provinciæ compulsi quandoque  
fuerint, ubi obliquis suspicionibus  
I 3 fue-

---

26.) Concilium PARISIENSE VI. Anno  
829. lib. I. cap. 15. ait: *licet crescente Fide-  
lium devotione copiosissimis ac munificen-  
tissimis eorum liberalitatibus, Sancta do-  
nata sit Ecclesia, eundem tamen usum A-  
postolorum Successores in tractandis &  
dispensandis Ecclesiasticis rebus se serva-  
re debere meminerunt.*

fuerant exagitati 27.). Fatendum nihilominus est, Episcopum & Clericos, ad quos pertinebat administratio, ea solitudine frequenter res suas egisse, ut pauperum & Fabricæ obliiti viderentur. Hoc eo præsertim tempore contingebat, quo singulis Parochis ac Beneficiatis Reditus Ecclesiarum suarum administrare concessum fuit, quamvis de eorum usu & dispensatione, Episcopi iudicio & examini adhuc subessent,

*Licet  
variis  
tempo-  
ribus*

§. 83. Juvat quorundam sæculorum mores percurrere, & ex singulis unicum specimen dare. Ad finem sæculi V. sub Pontifice Gelasio certa Bona in beneficium Clericis assignari nondum poterant, monente Administratores Pontifice: *omnia prædia ad vestrum revocetis studium, nec cuiquam Clerico pro portione sua aliquod solum Ecclesie putetis esse deputandum, ne per incuriam & negligentiam minuatur: sed omnis pensionis summam. . . ad Antistitem deferatis* Sc. 28.) Sæculo VI. vestigia

27.) Singula hæc declarantur a THOMASINO vet. & nov. Discipl. part. 3. lib. 2. c. 5. seqq.

28.) C. 23. XII. q. 2.

*De fidei Administratione.* 135

stigia bonorum jure beneficii Clericis datorum ab Episcopis, sed rario-  
ra jam occurrunt. Nam in AGATHENSI  
Concilio Anno 506. quibusdam talia  
bona permiffa, vel credita, vel com-  
mendata reperiuntur 29.): circa idem  
tamen tempus SYMMACHUS Papa foli-  
cite monet, ut Clerici, quibus ob me-  
rita conceduntur Bona Ecclesiæ, *hæc  
ipsa non perpetuo, sed temporaliter per-  
fruantur* 30.), scilicet ad arbitrium  
Episcopi; ac etiam post obitum Cle-  
rici, non ad successorem, sed ad or-  
dinationem Episcopi reversura. Sæ-  
culo VIII. nondum passim in Germa-  
nia permiffa fuit Parochis administra-  
tio oblationum 31.): ortis tamen  
frequentibus querelis contra infide-  
les Oeconomos, seu etiam Episco-  
pos

I 4

pos

---

29.) C. 32. 35. 36. XII. q. 2.

30.) C. 61. XVI. q. 1. Inter Epistolas De-  
cretal. Pontif. tom. 1. part. 2. fol. 425.  
& apud HARDUIN. Collect. Concil.  
tom. 2. col. 957.

31.) *De oblationibus, quæ in Ecclesia, vel  
in usus pauperum conferuntur, Canonica  
observetur norma, & non ab aliis dispen-  
sentur, nisi cui Episcopus ordinavit.* Con-  
cil. FRANCOFORD. Anno 794. Can. 48.



pos, cœperunt Parochi sibi arrogare Oblationes in Ecclesia sua factas, quæ antea ad Episcopum dividendæ ferri consueverant: demum etiam fundi, qui in cujuslibet Parochia siti erant, cuilibet assignati sunt, unde proventus ipsimet perciperent: quod quidem non eodem tempore, nec ubique, aut aliquo Decreto conciliari introductum, sed paulatim de una Ecclesia ad aliam transit.

*Mutata* §. 84. Nono demum sæculo inva-  
*fit ratio* luiffe & stabilitam esse hanc admini-  
*admini-*strandi rationem, varia Concilia in-  
*strandi,* sinuant. Nam ad initium Sæculi X. Concilium TROSLEJANUM 32.) mentionem ejus rei facere videtur his verbis: *a nostris est Majoribus constitutum, ut sicut habet Episcopus in sua ordinatione omnem generaliter Parochiam, cum omnibus rusticanis Parochiis, quas per tricennium inconcusse possedit: ita & unusquisque Presbyter in sua ordinatione ac dispositionis cura habeat Parochiam suam cum dote & Decimis Ecclesie, videlicet cum sui Episcopi consilio ac dispositione, secundum regulas antiquitus & divinitus constitutas.* Aliam adhuc mutatio-

---

32.) Anno 909. Cap. 6.

*De fideli Administratione.* 137

tationem subiit administratio Bonorum ad Ecclesiam Cathedralē pertinentium, ubi Episcopi & Capitula dividere Bona cœperunt. Secuta mox est Bonorum Capitularium inter ipsos Capitulares divisio, qua singulis Canonicis sua præbenda assignata fuit: quæ divisio invaluit, dum Canonici deserta vita communi ad vitam singularem transferunt. Sensim istud contigit, dissimulante potius, quam probante Ecclesia. Initium aliqui referunt ad Sæculum X. Singularem autem curam & fidelitatem in administrandis Proventibus Episcopalibus tempore Sedis vacantis commendat Capitulis Synodus Tridentina 33.).

§. 85. Quæcunque demum mutatio facta sit, sive per Beneficiorum erectionem, sive per partitionem inter Episcopum & Capitulum, *Eodem semper manente spiritu vel Ecclesiæ.*

---

33. ) Sefs. 24. c. 16. de Reform. *Capitulum sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum unum, vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri.*

vel inter ipsos Canonicos: hoc unum contigit, ut dispensatio Bonorum, quæ vel integra erat penes Episcopum; vel communis inter Canonicos in communi viventes; tandem ad ipsos particulares Beneficiatos, vel Canonicos transierit; manente ipsa Bonorum Ecclesiasticorum natura, aut conditione invariata, dispensationis norma nonnihil duntaxat immutata. Unde in Pontificum Rescriptis, Conciliorum Canonibus, ac Episcoporum Decretis, etiam post eam Bonorum divisionem, Bona Ecclesiæ dicuntur Patrimonium pauperum, Patrimonium Christi, Res Dei, non secus atque ante eam Divisionem. Facta tamen hac Beneficiorum partitione, & singulis Clericis familiam separatam alentibus, *procul dubio periclitari maxime ceperunt ille duæ quartæ, pauperum & fabricæ 34.*) Qualiscunque demum administrationis forma circa proventus Ecclesiasticos inducta sit; mens Ecclesiæ est, ut ex illis sibi quis moderatam & honestam sustentationem

---

34.) Ita Boërius Epo De Jure provent. Eccles. in Cap. I. de Testam. n. 52. seqq.

*De fidei Administratione.* 139

nem accipiat, superfluis ad eos fines impensis, quos intentio Offerentium, & Spiritus SS. Canonum exigit. Ad quod obtinendum summa opus est fidelitate eorum, quibus administratio Bonorum Ecclesiasticorum, seu Oblationum, Decimarum, aliorumque Redituum commissa est. Exemplo præeunt Romani Pontifices, præcipue INNOCENTIUS XII. 35.): Concilia autem plurima sollicitudinem suam hac in re demonstrant 36.): & ipse Deus impu-

---

35.) In Constitutione moderatoria Donationum & Distributionis reddituum Ecclesiasticarum in Consanguineos, vel Affines &c. Anno 1692.

36.) Ab Oblationibus excluduntur Laici & usus profani in Conc. AQUENSI Anno 1585. tit. de Parochis. Eas non esse dividendas inter Patronos Ecclesiæ, monet Conc. BRACARENS. II. c. 6. PICTAV. anno 1100. c. 14. ROTOMAG. & NEMAUS. Anno 1096. Conc. LATERAN. I. anno 1123. c. 14. TURON. anno 1163. c. 3. ABRINCENSE anno 1172. Aliqua tamen pars conceditur Patrono in Concil. CAMERÆ. 1565. tit. 16. c. 2.

impunitam non finit rerum Ecclesiasticarum dissipationem 37.)

*Observationes pro hodiernis temporibus.*

§. 86. Pro hodiernis temporibus, pauca annotasse sufficiat. Inprimis Episcopus etiam hodie supremam habet auctoritatem circa Reditus Parochorum. Unde Concilium TRIDENT. 38.) statuit, qua ratione Episcopus providere debeat Ecclesiis Parochialibus, quarum fructus adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere. Alterum notatu dignum est, ut dispiciatur, an utiliter simul & convenienter constituantur Laici Administratores Oblationum, aliorumque Redituum Ecclesiasticorum? Rex Joas 39.) voluit, ut omnem pecuniam

---

37.) RAINALDUS Annal. Eccl. ad ann. 1205. n. 6. narrat, quod Galli & Veneti Urbe & Imperio Cpolitano potiti, consilium inierint, ut Clero relinquerentur fundi ad sustentationem necessarii, reliqui dividerentur. Inde ratiocinatur THOMASSIN. p. 3. l. 1. c. 15. n. 5. mirum non esse, tam brevi corruisse Imperium, cujus conditores ipsimet fundamenta jam inde ab exordio subtraxerant, Religionem & Pietatem.

38.) Sess. 24. c. 13. de Reform.

39.) 4. Regum XII. 4. seqq.

*De fidei Administratione.* 141

euniam sanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini, accipiant Sacerdotes, & instaurent facta tecta domus. Quid factum? usque ad vigesimum tertium annum Regis Joas, non instauraverunt Sacerdotes facta tecta templi. Igitur cura hæc a Sacerdotibus negligentibus ac propriæ utilitatis studiosis ablata, & imposta est Jojadæ Summo Pontifici, & simul Scribæ Regis, quorum opera strenue instauratum fuit Templum. Ut simili ratione etiam hodie adhibeatur opera Laicorum, multæ nonnunquam, & hoc loco non discutiendæ rariones possunt suadere: id tamen semper curandum, ut præcipua autoritas sit penes Parochum, aut alium Ecclesiæ Rectorem. Demum observatur, quæ de administrandis proventibus aliarum Ecclesiarum dicta sunt, longe majori ratione curanda esse de Reditibus Monasteriorum, aliarumque Domorum Regularium, cum Status hujus conditio majorem commodorum temporalium contemptum, & sæcularium vanitatum fugam exigat. Normam præbent singulis primæ Fundationum Literæ. Etiam illi Religiosi,

giosi, qui summam paupertatem professi nihil, ne quidem in communi, proprium habent, rerumque suarum dominium Sedi Romanæ relinquunt, moderatam tamen curam 40.) pro conservandis suis rebus adhibere tenentur: unde habent Syndicos & Procuratores, qui autoritate Sedis Apostolicæ jura & res horum Monasteriorum tueantur, Legata pia exigant, aliaque negotia pertractent 41.).

TITU-

40.) Nimiam horum sollicitudinem in- & extra iudicium non boni consulit JOAN- NES XXII. in Extravag. 3. de Verb. Signif.

41.) De his Syndicis & Procuratoribus Fratrum Minorum vid. Constitutio 19. CLEMENTIS VII. *dum consideramus.* & 1. PAULI IV. *Ex Clementi.* EM. RODRIQUEZ Quæst. Regul. tom. 3. q. 38. LEZANA in summa. tom. 1. p. 2 c. 17. CASARUBIOS in Compend. Privil. V. Procurator. & ibi SORBUS in annot. Casarubius autem debuisset exemplum potestatis horum Syndicorum decentius ponere: dicit enim, quod Fratres Hispani, Galli & Alemanni utantur Syndico solum, & præcise ad hoc, ut si aliquid superfluum, vel inutile in conventu fuerit inventum, ut puta si mulus aut asinus senuerit, tunc Præfatus Procurator nomine Papæ, cujus est Syndicus, vendat, & pretium in alias necessitates Fratrum convertat,

TITULUS VII.  
DE PECULIO CLERICORUM.

Confer. lib. 3. Decretal. tit. 25.

§. 87.

**P**ECULIUM dicitur quasi pusilla pecunia, seu patrimonium pusillum 42.): & quidem Peculium servorum dicitur, quod servus domini permisso, separatim a rationibus dominicis habet. Ad eundem modum videtur accipi Peculium Clericorum, pecunia scilicet pusilla, a rationibus Ecclesie separata, quia Clerici neque patrimonialibus bonis abundare gestiunt; neque superfluis proventibus Ecclesie inhiant: habentes enim victum & vestitum, his contenti sunt 43.), in ea quantitate, ad quam non eos habendi ducit cupiditas, sed cogit vivendi necessitas 44.): frequenter tamen nescit cupiditas, ubi finitur necessitas 45.).

§. 88.

42.) L. 5. §. 3. ff. de Pecul,

43.) C. 5. XII. q. 1.

44.) C. 9. I. q. 2.

45.) S. AUGUSTIN. lib. IV. contra Julian. c. 14. §. 70.



*Comple-* §. 88. Bona Clericorum (prout  
*ditur* distinguuntur a Bonis proprie Ec-  
*Bona* clestasticis, scilicet a Fundis in do-  
*Patri-* minio Ecclesiæ existentibus, vel re-  
*monia-* ditibus ad certos fines in Ecclesia  
*lia* & destinatis) dividuntur in *Patrimonia-*  
*Clerica-* *lia* & *Clericalia*. *Patrimonialia* sunt,  
*lia.* quæ Clerici paternæ successionis vel  
 cognationis intuitu, aut de artifi-  
 cio sunt adepti, seu quæ dono con-  
 sanguineorum, aut amicorum, vel  
 alio profano titulo, non habito re-  
 spectu ad Ecclesiam, pervenerunt  
 ad ipsos. *Clericalia* dicuntur, quæ  
 consideratione Ecclesiæ, aut functio-  
 num Ecclesiasticarum perceperunt  
 46.). In his faciunt Doctores com-  
 muniter distinctionem, vocantque  
 aliqua Beneficialia, alia quasi patri-  
 monialia. *Beneficialia* dicunt, quæ  
 ex titulo Beneficii Ecclesiastici per-  
 cipiuntur, uti plerumque sunt De-  
 cimæ, redditus ex fundis dotalibus  
 Ecclesiæ &c. Hæc sunt vel *Necessa-*  
*ria* ad competentem sustentationem;  
 vel *Superflua*, quæ superant con-  
 gruum quantitatem; vel *Parsimonia-*  
*lia*,

---

46.) C. 9. de Testam. C. 2. XII. q. 3. item  
 q. 5. c. 4.

lia, quæ ex necessariis per singularem vitam moderationem seposita sunt. Quasi patrimonialia dicuntur, quæ titulo quidem spirituali, non tamen ex titulo Beneficii acquiruntur, sed ex lectis Missis, exceptis Confessionibus, habitis Concionibus, Administratione Sacramentorum, & similibus functionibus obveniunt, vocarique solent *Reditus stole*, quibus annumerari solent *Distributiones quotidianæ* propter præsentiam in Choro.

§. 89. Clerici retinent Dominium bonorum patrimonialium, cum ratione Status Clericalis non fiant inhabiles ad illud. Eandem igitur post Clericatum assumptum, habent facultatem de iis disponendi, quam habebant antea, nisi quod ratione status sui ad majorem obligentur vitæ temperantiam, & bonorum operum exercitationem. Reditus intuitu Beneficii, vel functionum Clericalium obvenientes, an in suo habeant dominio, an vero sola illis competat administratio, gravis est controversia inter Doctores. Ex præcedenti Titulo constat, Redituum Ecclesiasticorum administrationem olim fuisse penes solum Episcopum.

*potest concedi Clericis Dominium Beneficium,*

K pisco-

*De Jure Rev. Eccles. Pars poster.*

piscopum, qui opera Oeconomorum singulis Clericis & Pauperibus distribuebat necessaria, vel in commune viventibus, vel separatim habitantibus, quotidiano, hebdomadario, aut menstruo dimenso. Hujus portionis sibi attributæ quin dominium more aliorum pauperum, acquisiverint Clerici separatim viventes, nullus dubito: sublata enim vitæ communitate, non apparet in Ecclesia voluntas faciendi discrimen inter pauperes reliquos, & Clericos; nec in ipsis Clericis specialis inhabilitas ad acquirendum dominium. Jam vero, quando ipsis Beneficialium Administratio Redituum Beneficialium permessa est, hi ipsi colligendo hos Reditus, sibi portionem suam tribuunt, quam ex manibus Episcopi suscipere antea solebant: non igitur apparet, quod eorum dominium in dubium vocari possit.

*Etiam  
super-  
fluum*

§. 90. An autem congrua solum sustentatio exinde haberi possit, an superflua multa sint, quis discernet in ipsa collectione? Postquam necessitatibus omnibus congrue satisfactum est, tunc demum de superfluis judicari potest. Nullum apparet

*discrimen*

*De Peculio Clericorum.* 147

discrimen inter Reditus necessarios & superfluos, dum percipiuntur: utrorumque igitur æqualiter dominium obtinebunt Clerici, cum in ipsa perceptione nulla Redituum pars determinate dici possit necessaria, nulla superflua. Non obstat huic dominio, quod varia onera hisce Reditibus incumbant, & liberrimæ dispositioni multi Canones se opponant. Nam etiam Reditibus laicis multa incumbunt onera Censuum, pensionum, tributorum; multique obices illimitato usui & liberæ administrationi ponuntur a Legibus, Testatoribus, vel Donatoribus: & tamen eorum possessores habentur veri domini. Idem de Clericis dici potest, qui veri sunt domini Bonorum patrimonialium, quamvis teneantur illa impendere ad usus honestos: cur non etiam sint domini Bonorum Beneficialium, quamvis impendere ea debeant ad usus pios.

§. 91. Modus hic loquendi conformis est Sacris Canonibus, & Pontificum Constitutionibus, dum Julius III. 47.) Reditus a Beneficialibus

*Redituum;*

K 2

tis

---

47.) Const. eum sicut. anno 1550.

tis perceptos, non ulterius in Ecclesiasticis, sed potius ipsorum Beneficiatorum propriis, & per eos acquisitis Bonis judicandos dicit: dum dicitur, Clericos absentes sine causa legitima, distributiones quotidianas *non facere suas*, nec rerum sic receptarum dominium acquirere 48.) : item Clericos diu absentes, aut professionem fidei emittere negligentes, non facere fructus suos 49.). Multi quidem Parochi aut Beneficiati, ut ex priori Titulo colligitur, Bonorum intra terminos Ecclesiæ suæ sitorum Administrationem potius via facti, quam deferente lege, sibi sumpserunt, indeque nihil pro pauperibus, parum pro fabrica separatam fuit: horum igitur intuitu nudi videntur esse Administratores, qui Redituum suæ curæ commissorum nequaquam obtinent dominium. Verum jure optimo Clerici primum solliciti sunt de portione sibi competente, quæ turbatis sæpe rebus, & afflictis Ecclesiis restabat satis modica. Ubi igitur nulli determinati fundi fuerunt  
Fabri-

---

48.) C. un. de Cler. non resid. in 6.

49.) Conc. TRID. sess. 23. c. 1. & sess. 24. c. 12. de Reform,

Fabricæ usibus destinati ; nulli pauperum subsidio assignati ; absque discrimine percipit Clericus Reditus omnes tanquam suos , expensurus postea , si quid superflui reperiatur , in eos fines , ad quos Ecclesia pridem destinaverat. Omnium interim percipiendo fit Dominus , omnes Reditus facit suos , magnis utique oneribus gravatos : sicuti hæres totam hæreditatem facit suam , debitis , legatis , censibus oneratam.

§. 92. Dispicendum jam est , quibus oneribus gravati sint Reditus Ecclesiastici. Certe ex intentione Fundatorum , & Spiritu Ecclesiæ impendi debent ad Cultum Divinum , qui juxta SS. Canones obtinetur per sustentationem Episcopi & Clericorum , per conservationem Fabricæ & Ornamenta Ecclesiæ , per subsidium pauperum & peregrinorum , aut denique per alios pios usus honori Dei amplificando , & animarum salutis promovendæ idoneos. Isti fines nondum censentur obtenti per hoc , quod Reditus Ecclesiæ inferantur cistæ vel horreo cujusdam Parochi : nihil enim exinde utilitatis in Ecclesiam , nihil honoris in Deum , nihil emolumentum

ti pro salute animarum redundat : ergo ulterius infumendi sunt ad eum finem, qui intentioni Fundatorum, & menti SS. Canonum respondeat: sicuti Reditus pro Fabrica Ecclesiæ destinati, non censentur bene applicati, si per aliquot menses aut annos in ærario Ecclesiæ delitefcant, neque propterea possunt postea ad usus profanos impendi 50.).

*Nempe ad propriam sustentationem,* §. 93. Sumit igitur Clericus ex his Reditibus in stipendium vitæ, quantum sufficit congruæ sustentationi suæ, quæ sustentatio necessaria est Ecclesiæ, saluti animarum, & Cultui Divino. Nihil enim Clericus percipit in compensationem obsequiorum spiritualium, quæ, cum potestatem Clericalem gratis acceperit, gratis impendit. Annum salarium & pretium ministris Laicis, vel artificibus præstitum, jam plene obtinet

---

50. S. URBANUS Papa in Lektionibus Breviarii 25. Maij statuit: ipsa res Fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alios usus, quam Ecclesiasticos, & Christianorum Fratrum, vel indigentium converti; quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum.

*De Peculio Clericorum.* 151

tinet finem ab Ecclesia intentum, scilicet obsequia vel artificiosa opera, aliunde Ecclesiæ non debita: & ideo ejusmodi Laici ex intentione SS. Canonum non tenentur superflua ad pios usus ultiores impendere. Clericus autem nullum præstat obsequium pretio temporali æstimandum: consequenter exigere nihil potest, nisi necessarium vitæ stipendium: & Reditus Ecclesiastici, qui neque ad vitam Clerici sustentandam, neque ad alium a SS. Canonibus indigitatum usum actu impenduntur, sine suo frustrantur: debent proin proventus ultra congruam sustentationem superflui ad alios pios usus expendi, quales nunquam deerunt.

§. 94. *Quamvis enim aliqui Re- Et alios*  
ditus forte sint superflui congruæ su- *pios fi-*  
stentationi Clericorum, nunquam ta- *nes.*  
men erunt superflui consideratis aliis  
Redituum Ecclesiasticorum finibus.  
Non est autem admittenda opinio,  
quod Reditus Parochiales, seu Be-  
neficiales pro sola Parochi vel Bene-  
ficiati sustentatione sint destinati,  
Cultusque Divinus ad intentionem  
Ecclesiæ promoveatur, si fructus in  
horreis, si pecuniæ in cistis Paro-  
chi



chi aut Beneficiati condantur. Incumbit Parocho præter suam, familiaræque sustentationem, Cathedralium, subsidium Charitativum, reparatio ædium suarum, quotidianus affluxus pauperum &c. ut sentiant Parocho, Reditus suos adhuc hodie gravari quadruplici illo fine, ad quem antiqui Canones impendi oblationes volebant. Ex his concluditur, non apparere sufficientem rationem distinguendi inter Bona Clericorum necessaria & superflua, ubi de eorum usu est quæstio, nisi credamus, nec superesse pauperes, quibus subveniatur; nec ad manum esse ullam occasionem Cultus Divini amplificandi. Vana est quorundam assertio, nesciri, quo pars in usus pauperum destinata pervenerit: hæret ista in illis Reditibus, Decimis & Oblationibus, in quibus olim hæserat, quando alia erat administrandi ratio, cum qua nequaquam mutata est natura & destinatio Redituum Ecclesiasticorum

*Eleemo-  
syna  
pauperibus* §. 95. Nec argumentum a Pauperibus ad Clericos duci potest, ita ut Clerici æque parum censeantur adstricti ad ea in usus pios expendenda,

da, quæ sustentationi congruæ super-erogata fluunt; sicuti pauperes, ejusmodi non est obligationem circa eleemosynas ex annexa Reditibus Ecclesiasticis sibi superfluas ulterior non agnoscunt. Lata enim est dispensatio obligatio: nam menti Fundatorum & Ecclesie satisfactum censetur, quando illi, qui Reditus Ecclesiasticos colligunt, ex motivo misericordiae, quod vere ad Cultum Divinum pertinet, eorundem Redituum partem pro sublevanda pauperum miseria largiuntur, quamvis isti pauperes his eleemosynis non utantur ad suam sustentationem. Possunt hi fingendo paupertatem, vel per eleemosynæ abusum peccare, aut etiam teneri ad restitutionem § 1. ): istud autem non oritur ex singulari obligatione Reditibus Ecclesiasticis imposita, utpote cui jam satisfactum est per distributionem in pauperes bona fide factam. Aliter loquendum de Clericis proventus Beneficiales percipientibus, non utique ad compensanda obsequia spiritualia gratis obita, sed ut expendantur ad Cultum Divinum, qui promovetur

K § pet

---

§ 1. ) Vid. MOLINA de J. & Jur. tr. 2, disp. 210.

per sustentationem ipsius Clerici: ultra hanc quæ superflua sunt, nondum obtinuerunt finem suum a Fundatoribus & Ecclesia intentum: proin remanet obligatio ea pie expendendi.

*Eandem cum Beneficialibus naturam habent Bona Parsimonialia:* §. 96. Quod dictum de Reditibus congruæ sustentationi Ministrorum superfluis; idem intelligendum de *Parsimonialibus*, qui consumi quidem potuissent; sed ex vitæ temperantia, avaritia, aut aliis rationibus repositi manent. Certum est, quod hi sint Reditus Ecclesiastici ex natura sua destinati ad usus pios: certum est pariter, quod ad illos impensi non fuerint: qua ratione igitur contingere potuit, ut Reditus Ecclesiastici transferint in profanos ex eo solo capite, quod non fuerint impensi ad usus pios, inter quos etiam fuisset sustentatio Ministrorum Ecclesiæ. Si mille aurei destinentur ad fabricam Ecclesiæ, Architectus tamen vel per suam industriam, vel ob parciora ornamenta impendit solummodo octingentos: nemo cogitabit, reliquos ducentos non amplius esse devinctos usibus Ecclesiæ. Similiter &c.

§. 97. Dubium movetur, an quæ *Quasi*  
hactenus diximus, solum de Redi-*Patri-*  
tibus Beneficialibus, an vero etiam *monia-*  
de Reditibus Stolæ, Distributio-*lia*:  
nibus quotidianis, stipendiis Mis-  
sarum & aliis, quæ *quasi patrimo-*  
*nialia* vocari solent, intelligi debeant.  
Certum est, hæc nec offerri, nec ac-  
ceptari tanquam mercedem obsequii  
spiritualis, ne offerentes, vel ac-  
ceptantes Simonix possint argui: si-  
militer certum est, non esse dona  
omnino gratuita & liberalia, cum  
nequaquam darentur, nisi vicissim  
obsequia spiritualia præstarentur:  
Sunt igitur Oblationes ex ea æqui-  
tate factæ, quam insinuat S. PAU-  
LUS (2.) : *si nos vobis spiritualia semi-*  
*navimus, magnum est, si nos carnalia*  
*vestra metamus?* Conformiter dicto  
Christi, dignus est Operarius cibo  
suo. Mens igitur offerentium &  
acceptantium conformis est menti  
Ecclesix & ordinationi Christi, ut  
scilicet ista dentur & acceptentur in  
vitæ stipendium. Omnia autem  
per-

perpendenti & rimanti non occurrit  
opportuna differentia inter hæc sti-  
pendia quasi patrimonialia, & inter  
beneficialia, quæ utique non dan-  
tur solummodo propter otium, sed  
propter Officium spirituale, sicuti  
quasi patrimonialia: nec aliud di-  
scrimen est, quam quod Reditus  
beneficiales colligantur ex bonis jam  
ante aliquot sæcula Ecclesiæ obla-  
tis: Reditus autem stolæ provenient  
ex Oblationibus hodiernis. Pravam  
consuetudinem vocat S. Gregorius  
53.) , si quis perversa usurpatione  
sibi arroget liberam dispositionem de  
recentibus Oblationibus, easque a-  
lio jure æstimet, ac bona antiquitus  
Ecclesiæ tributa. Quæ igitur olim  
de usu & destinatione Oblationum  
statuta fuerunt, eadem adhuc hodie  
statuta censentur de Oblationibus  
quibuscunque intuitu obsequii spiri-  
tualis factis. Sola administrandi ra-  
tio immutata est, cum administra-  
tio relinquatur ipsi Clerico, sive cu-  
rato, sive non curato, qui pro sti-  
pendio vitæ iisdem utitur; si quid  
au-

*De Peculio Clericorum.* 157

autem superflui esset, haud dubie ad alios pios usus impendere deberet. Sacerdotibus quidem curatis severissime prohibent SS. Canones, ne quid pro sepultura, benedictione nubentium, baptismo &c. recipiant: sola consuetudo eos excusat (54.): per hanc autem, utpote odiosam, & Sacris Canonibus derogantem, nulla ratione tollitur gravissima tot Pontificum & Conciliorum ordinatio de Oblationibus pie impendendis. Nec alia est ratio Sacerdotum, qui curam animarum non habent, & stipendium pro dicendis Missis recipiunt: nam isti quoque nec mercenarii videri volunt; nec alium titulum acceptandi stipendium excogitare poterunt, quam illum, quo aliæ Oblationes in Ecclesia recipiuntur (55.).

§. 98.

---

54.) C. 42. de Simon.

55.) Aliter sentit JOAN. CABASSUTIUS  
Jur. Can. Theor. & prax. lib. 2. c. 22.  
n. 8. cui assentiri videtur PONTAS  
Dictionar. Cas. Consc. verb. testamen-  
tum, Cas. V. in fin.

*Et Distribu-  
tiones  
quoti-  
diane.*

§. 98. Major adhuc ratio est eorum, qui Distributiones quotidianas percipiunt 56.): hæ enim originem suam trahunt a more antiquo, quo singulis Clericis vel quotidie, vel hebdomadatim, vel aliis fixis temporibus congrua portio pro victu dividebatur ex massa communi: destinatæ igitur sunt hæ distributiones ad usum pium, qualis est sustentatio Clericorum, proin ad alios usus profanos converti non possunt. Dum enim Concilium TRIDENTINUM fieri & augeri eas ex massa communi voluit, non intendebat, mutare horum Redituum destinationem, sed id tantum voluit, ut isti non æqualiter pervenirent ad negligentiores Canonicos; sed potior eorum pars cedat diligentioribus. Aliud dicendum de Distributionibus, per quas intenditur nonnunquam major celebritas per frequentiam præsentium vel in comitatu funeris, ubi etiam Laicis tales Distributiones conceduntur: per istas enim non intenditur

---

56.) Has proventibus Ecclesiasticis annumerat BONIFACIUS VIII. Extrav. un. §. 6. de Decimis. inter commun.

ditur Officium sacrum, ad quod Clericus vi sacri ordinis vel beneficii ab Ecclesia deputatur.

§. 99. Cum igitur ex intentione *Quan-* Fidelium offerentium, & mente Ec-*tum pos-*clesiæ acceptantis, Oblationibus & *fit indul-*Reditibus Ecclesiasticis incumbat *o-*geri ho-  
nus, eos impendendi ad usus pios, *diernæ* sane illi, qui aliter impendunt, ob-*commu-*ligationem Juris naturalis violant, *ni per-*sicut violaret, qui hæreditatem aut *suasione?* fideicommissum tenent, nec tamen oneribus impositis satisfaciunt. Hæc juxta genuinum Ecclesiæ spiritum tenenda & inculcanda omnino videntur. Si tamen hodiernis moribus aliquid indulgere, & nervum disciplinæ Ecclesiasticæ relaxare velimus, distinguere possumus I. inter ea, quæ tanquam pro dimenso diurno, vel etiam annuo in certa quantitate alicui Clerico dantur, quale est stipendium pro lecto sacro, aut etiam annuum determinatum stipendium cujusdam Vicarii Parochialis, dum interim Parochus habitualis universos redditus colligit. Et II. inter ea, quæ obveniunt ex universali administratione totius foundationis, Parochiæ, Canonicatus, Dignitatis &c.



&c. Prioris generis reditus videntur ex hodierna communi persuasione dari ad solos usus Clerici, qui proin non videtur aliam obligationem circa usum eorum habere, ac alii Laici, ut scilicet honeste impendat. Posterioris autem generis reditus nequaquam conceduntur ad solos Clerici usus, sed juxta mentem Fundatorum & Ecclesiæ dantur cum oneribus supradictis Cultum Divinum, pauperes, fabricam Ecclesiæ &c. respicientibus: istis oneribus ut satisfiat, & exinde Cultus Divinus promoveatur, gravissima est obligatio, nullis vanis prætextibus parsimonix &c. abolenda.

*Clericus* §. 100. Circa peculium Clerico-  
*ex Pa-* rum, quod vel ex Bonis patrimo-  
*trimo-* nialibus, vel ex Reditibus Ecclesia-  
*nialibus* sticis congeritur, oritur quæstio,  
*dives*, num Clericus vivere possit ex Redi-  
 tibus Ecclesiasticis, qui habet suffi-  
 cientem sustentationem ex Bonis pa-  
 trimonialibus? Ex dictis constat,  
 Reditus Ecclesiasticos dari in stipen-  
 dium vitæ, quia *dignus est Operarius*  
*cibo suo* 57.): sicuti pauperi ex iis-  
 dem

*De Peculio Clericorum.* 161

dem Reditibus datur Eleemosyna, quia misericordia exigit, ut illi succurratur. Unde aliqui inferunt, sicut ille, qui labore manuum, aut aliis mediis facile sibi comparare potest necessaria vitæ, nequit bona conscientia vivere ex Eleemosynis: ita etiam non posse Clericum stipendia vitæ percipere ex Reditibus Ecclesiasticis, si suppetant ei patrimonialia: non enim dantur hi reditus in pretium, vel remunerationem laboris, de quo præcipit Christus, gratis accepistis, gratis date; sed solummodo dantur in stipendium vitæ, quod videtur supponere indigentiam: unde multi antiqui Canones perceptionem Redituum Ecclesiasticorum alligant indigentia (58.). Ratio horum  
L est,

---

58.) Can. Apost. 40. relatus in C. 22. XII. q. 1. Can. 25. Concil. ANTIOCH. relatus C. 23. ead. Caus. & quæst. Ad dantur C. 7. X. q. 2. C. 6. 7. 8. 9. I. q. 2. allegati Canones. 7. 8. & 9. a Gratiano adscribuntur S. Prospero de vita contemplat. Revera Autor ejus libri est JULIANUS POMERIUS circa finem sæculi V. de quo videri potest Nota JACOBI SIRMONDI

*De Jure Rer. Eccles. Pars poster.*

est, quia illi, qui possidet sufficientes Reditus temporales, Bona Ecclesiastica ad vitæ sustentationem non sunt necessaria, sed prorsus superflua, consequenter ad alios pios usus impendenda 59.)

*An possit vivere ex Beneficiis?* §. 101. Nihilominus altera sententia affirmans, etiam a Clerico divite posse Reditus Ecclesiasticos percipi, & in usus suos converti, passim traditur, & in praxin deducitur. Unde convenientius me expedire non scio, quam repetendo verba, quibus usus sum in quibusdam foliis, in quæ Decadem Dubiorum de Peculio Clericorum ante aliquot

---

MONDI ad Conc. Aquisgran. anno 816. GUILIELM. CAVE Hist. Liter. ad Ann. 444. & 498. Fusior hujus Juliani contextus sub nomine Prospero refertur in dicto Conc. AQUISGRAN. C. III.

59.) Hoc sensu dicit S. AUGUSTINUS Epist. 185. alias 50. cap. 9. *Si pauperum compauperes sumus, & nostra sunt, & illorum: si autem privatim quæ nobis sufficienter possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procuracionem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.*

*De Peculio Clericorum.* 163

quot annos conjeci, scilicet priorem sententiam negativam, esse conformiorem Spiritui Ecclesiæ; alteram affirmativam, sensui Ecclesiasticorum: priorem menti Sacrorum Canonum; alteram placitis Canonistarum: priorem ita piam, ut ejus usus summopere esset optandus; alteram ita communem, ut ejus usus non sit damnandus. Demum ex iis, qui Reditus patrimoniales sufficientes ad vitæ sustentationem habent, & tamen ex Reditibus Ecclesiasticis vivunt, id solum rescire cuperem, in quem finem patrimonialia cumulent, iisque parcant, dum interim ex Ecclesiasticis vivunt? Si patrimonialia relinquerent Consanguineis suis, vel in pauperes dividerent; sequeretur sane exemplum Apostolorum, & mererentur vivere ex Altari, quando Altari serviunt: verum si Reditus patrimoniales solícite cumulant & custodiunt; interim autem Ecclesiasticos proventus absumunt; vehementer timendum est, ne inordinato affectu ad id impellantur. Viderint igitur ejusmodi Clerici, ne in alterutrum scopulum impingant, vel Ecclesiastica in aliorum præjudicia

absumendo; vel patrimonialia ex avaritia, aut alio pravo affectu cumulando.

TITULUS VIII.  
DE BENEFICIIS ECCLE-  
SIASTICIS.

*Confer. Lib. 3. tit. 4. § 5. In Sext. tit. 3. § 4. Clement. tit. 2. Extrav. Joan. XXII. tit. 3. Commun. tit. 2.*

§. 102.

*Nomen Præbendæ & Beneficii ex militia desumptum.* **P**OSTQUAM Clericis *Militiæ* sacræ nomen tribui cœptum est, non incongrue plura ex Castris vocabula ad Ecclesiam translata sunt, inter quæ mentionem hoc loco meretur vox *Præbendæ*, & *Beneficii*. *Præbenda* enim apud Romanos significabat annonas, cibaria, præbita, diaria & sportulas, sive alimenta, quæ in dies, vel menses militibus erogari solebant (60.). A CONSTANTINO enim, aliis-

---

60.) Huc facit L. inviti. 19. ff. de Testib. ubi ULPIANUS loquitur de eo, qui quid exercitui præbendum, conduxerit. quam lectio.

*De Beneficiis Ecclesiasticis.* 165

aliisque Principibus Christianis stipendia & annonæ liberaliter Clericis fuerunt præstitæ 61.): & inter alia Bona Ecclesiarum etiam *annonæ civiles* 62.) & *civiles panes* 63.) alienari prohibentur, quibus proin *Præbendarum* nomen adhæsit, demum pro quovis Beneficio minori, prout a Dignitate distinguitur, usurparum. Unde etiam Sacri Canones utroque vocabulo *Præbendæ* & *Beneficii* promiscue utuntur 64.). *Beneficii* vero appellatio desumpta est ex usu *Feudorum*, quæ olim *Beneficia* appellabantur 65.). Sicuti enim Re-

L 3 ges

---

lectionem retinet CUIACIUS lib. 2. observ. 23. sed ALCIATUS lib. 2. Parerg. c. 43. legit *qui exercitui præbenda conduxerit, & advertit, quas Sacerdotum Præbendas vulgo vocamus metaphorice, posse nos latinius neutro genere Præbenda dicere.*

61.) EUSEB. Hist. Eccl. lib. X. c. 6. & de Vita Constant. lib. I. c. 35. seq. THEODORET. lib. I. c. 11.

62.) L. 14. C. de SS. Eccles.

63.) L. 17. ibid.

64.) C. 2. & 9. I. q. 3.

65.) Lib. I. Feudor. tit. 15. & 20. Lib. II. tit. 12. & 24. Capitularia Regum Francorum

ges & Imperatores solebant prædia sub nomine *Beneficiorum* Vasallis seu Clientibus in *Feudum* largiri sub hac conditione, ut ad militandum pro ipsis adstricti essent: ita etiam Reditus & emolumenta sub nomine *Beneficiorum* Clericis præbere solet Ecclesia, cum obligatione strictiori militandi Deo, & certæ Ecclesiæ obsequia præstandi.

*Beneficii* §. 103. Beneficium igitur dicitur Ecclesia-  
*Jus* perpetuum percipiendi fructus ex bo-  
*stici de-* nis Ecclesiæ, Clerico concessum ob sacrum  
*scriptio* ministerium, autoritate Ecclesiastica con-  
 stitutum 66.). Dicitur I. *Jus*, quod  
 aliqui comparant usufructui, alii do-  
 minio utili ad similitudinem Feudo-  
 rum

---

corum passim. Etiam illa bona, quæ Laicis ab Ecclesia in Feudum dantur, vocantur Beneficia Ecclesiastica in C.1. de Eccles. ædific. vel repar. EMAN. GONZALEZ ibid. n. 2.

66.) Alii definiunt *Jus* perpetuum ministrandi in Ecclesia autoritate Episcopi constitutum, habens jus percipiendi fructus annexum. In utraque definitione exprimitur Officium seu Ministerium Ecclesiasticum tanquam principale, atque jus percipiendi fructus tanquam accessorium.

*De Beneficiis Ecclesiasticis.* 167

rum, saltem intuitu illorum fructuum, qui ex Bonis Ecclesiæ immobilibus percipiuntur 67.). Dicitur II. *Perpetuum*, tum quia datur Clerico ad dies vitæ; tum quia moriente Clerico non extinguitur, sed semper adhæret Ecclesiæ. Nam sicuti olim militibus bene meritis Feuda concessa fuerant tantum ad dies vitæ, & post mortem revertebantur ad liberam dispositionem Principis; sic etiam multo tempore Clericis de Ecclesia bene meritis concedebatur Jus percipiendi Reditus ex bonis Ecclesiæ, ad omnes quidem dies vitæ; illis autem decedentibus revertebatur administratio eorum bonorum ad Episcopum, ita ut Clerici non jure Tituli, sed jure personali Beneficium tenerent. Cum vero multa incommoda inde orirentur, quando Successor quasi ex nova liberalitate Episcopi, jus percipiendi Reditus obtinere debebat; demum invaluit mos, ut jus istud non Per-

L 4 nis,

---

67.) Vid. P. PLACIDUS BÖCKHN adlib.  
III. Decretal. Tit. V. n. 3.



nis, sed Ecclesiis seu Titulis 68.) annecteretur, illeque semper haberet jus percipiendi fructus, qui obtineret Titulum: quæ disciplina etiam hodie servatur; unde ipse *Titulus* nomen *Beneficii* obtinuit, quo denotatur tum *Officium Ecclesiasticum*, tum jus percipiendi proventus.

*Explicata:*

§. 104. Dicitur III. *Percipiendi fructus ex Bonis Ecclesie*, unde unde provenientes ex Decimis, Oblationibus, prædiis Ecclesie &c. ad sustentationem Clerici destinatos. Per hoc Præbenda, seu Beneficium differt a *Canoniam* simpliciter dicta, quæ est tantum jus habendi Sedem in Choro, vel etiam vocem in Capitulo. Dicitur IV. *Clerico concessum ob sacrum Ministerium*. Nam Beneficium datur propter *Officium* 69.); & quidem tale, ad quod Clericus speciali ritu ordi-

---

68.) Titulus hoc loco sumitur pro functione & certo loco in Ecclesie Ministerio, cui adscribebatur Clericus in ipsa Ordinatione. De hoc Titulo multa congerit LOTTERIUS de Re Beneficiar. lib. I. quæst. 2.

69.) C. fin. de Rescript. in 6.

*De Beneficiis Ecclesiasticis.* 169

ordinatur. Unde differt ab eo jure, quo Officiales Laici percipiunt fructus ex Bonis Ecclesiæ ob ministerium profanum. Dicitur V. *Autoritate Ecclesiastica constitutum.* Beneficium enim Ecclesiasticum ab Episcopo in Titulum erigi debet. Hinc privatæ Capellæ, etiam in perpetuum dotata pro Missarum in eisdem celebratione, quantumvis benedictæ, non censentur inter Beneficia, sed remanent sub sola Fundatorum & Successorum dispositione; consequenter nec commodis, nec incommodis Beneficiorum sunt subiectæ 70.)

§. 105. Beneficium Ecclesiasticum *Divisio*, dividitur I. in *Saculare & Regulare.* II. In *Simplex*, cui non est adnexa administratio, vel Jurisdictio: & *Duplex*, quod aliquid horum annexum habet. III. In *Dignitates*, quibus affixa est Ecclesiastica administratio cum Jurisdictione fori externi supra Clerum: *Personatus*, quibus cohæret præ eminentia supra Clerum

L 5                      sine

---

70.) Vid. CABASSUTIUS Jur. Canon. Theor. & prax. lib. II. c. I. n. 2.

sine Jurisdictione: & *Officia*, quibus annectitur administratio sine Jurisdictione & Præminencia. IV. In *Manualia*, quæ ad Collatoris arbitrium revocari possunt, & ideo ob defectum perpetuitatis non sunt proprie dicta Beneficia: & *Non Manualia*, quæ adimi non possunt, nisi de causis a Jure statutis. V. In *Electiva*, quæ per plurium suffragia, & Superioris Confirmationem: *Collativa*, quæ per absolutum Prælati arbitrium: & *Mixta*, quæ ad Patronorum Nominationem, seu Præsentationem conferuntur a Prælato. VI. In *Curata*, & *Non Curata*, quibus nec fori externi, nec interni cura inest. Si competat Cura quoad forum internum seu conscientiæ, proprie dicitur Beneficium Curatum: si tantum quoad forum externum & contentiosum, improprie est Curatum. Nullum igitur Beneficium Curatum dicitur, nisi habeat Populum vel Clerum, cujus Cura annexa est Beneficio, & incumbit Beneficiato. Tametsi enim Beneficiatus ex lege Fundationis debeat Parocho in Officio concionandi, aut Confessiones excipiendi assistere, propterea non dicitur

*De Beneficiis Ecclesiasticis.* 171

citur habere Beneficium Curatum: nam Cura animarum requirit ea omnia, quæ ad salutem animarum Populi aut Cleri necessaria & utilia sunt, E. G. administratio Sacramentorum, etiam Eucharistiæ, Extremæ Unctionis & Matrimonii &c. 71.). De his Beneficiorum Divisionibus varia attingimus in Tract. de Hierarchia Ecclesiastica.

§. 106. Beneficiis simplicibus an-Capel-  
numerari solent *Capellaniæ*, seu *Ca-larum*  
*pella*, per quas intelligitur onus ce-  
lebrandi unam aut plures Missas an-  
nuatim in Capella, Ecclesia, seu Al-  
tari 72.). Habent aliquæ Capella-  
niæ Plebem, cujus cura incumbit  
Capellano, ut accidit, quando Ec-  
clesia cum Plebe conceditur Mona-  
sterio

---

71.) De hac Cura loquitur C. 14. de ætat.  
& qualit. præfic. & Concil. TRID. sess.  
23. c. 1. de Reform.

72.) De Capellaniis videri potest ILDE-  
PHONSUS PEREZ DE LARA De Anni-  
versar. & Capellan. FRANC. A MOSTA-  
ZO de Causis Piis. tom. 1. lib. 3. per tot.  
& tom. 2. lib. 5. c. 7. THOMASSINUS  
De Veter. & nov. Eccles. Discipl. p. 1.  
lib. 2. c. 92. seqq.

sterio, ad quod Cura translata non est, verum penes Episcopum remanet, qui cum consensu Monasterii designat Capellanum: hic autem respectu Curæ animarum Rector Ecclesiæ dici potest, quia omnia administrat, ut Parochus. Nos hoc loco consideramus præcipue Capellaniam simplicem. Nomen hoc derivari solet a breviori Capa S. Martini 73.), quæ in Palatio Regum Francorum asservata fuit, & ad quam Sacramenta præstabantur 74.): postmodum ædes ipsa, in qua cum aliis Sanctorum Lipsanis Capa S. Martini intra Palatii ambitum asservata fuit, *Capella*, & Presbyter, ejus curam gerens, *Capellanus* vocabatur. Cum autem Reges Francorum

---

73.) SANGALLENSIS, quem CANISIUS antiq. lect. tom. I. edidit, de Gestis Caroli M. lib. I. c. 4. quendam optimum dilatorem & scriptorem in Capellam suam assumpsit, quo nomine Reges Francorum propter Capam S. Martini, quam secum ob sui tuitionem & hostium oppressionem jugiter ad bella portabant, Sancta sua appellare solebant.

74.) MARCULFUS Lib. I. form. 38.

*De Beneficiis Ecclesiasticis. 173*

rum in singulis fere Provinciis Regni sui, per quas sæpe iter agebant, haberent Palatium, aut Villam Dominicam; ubique etiam ædificabantur ædiculæ sacræ pro recondendis Sacris Lipsanis, & constituebantur Presbyteri ad Laudes Divinas ibidem cantandas: unde frequentissime in antiquis monumentis occurrunt *Capelle Palatina, & Capellani Regii.*

§. 107. Hoc nomen Capellarum adeo invaluit, ut etiam Nobiles privata Oratoria in Castris suis exstructa, atque alii in Urbium majoribus Ecclesiis laterales ædiculas, vel Altaria in honorem cujusdam Sancti aut Mysterii cum annexis proventibus posita, *Capellas*, & Sacerdotes illis præfectos, *Capellanos* vocarent: nonnunquam etiam ob *Sacras Reliquias* ibi reconditas, & *Sacras functiones*, vocabantur *Sacella*, id est *Sacra Cella*, & *Sacellani* 75.). Istæ Capellæ non poterant exstrui absque

---

75.) Vid. DU CANGE Glossar. med. & inf. latin. V. *Capella. Capellanus.*

que autoritate Episcopi 76.), qua accedente in Titulum Beneficii eriguntur : Capellani autem Altarium cum Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, in qua Capellæ sunt, Divinum Officium in Choro persolvunt : unde hæ Capellanix incompatibiles sunt cum Canonicatu in eadem Ecclesia, sicut infra dicitur de Beneficiis uniformibus sub eodem tecto 77.) : plerumque autem annexum habent onus celebrandi Missarum solennia, cui hodie passim fatisfit per Missas privatas minime solennes. Sunt igitur hujusmodi Capellanix inter Beneficia simplicia reputandæ, quia habent jus percipiendi Reditus Ecclesiasticos propter Officium sacrum, & tamen Curam animarum, vel Jurisdictionem annexam non habent.

§. 138.

76.) Capitular. lib. V. c. 334. *Placuit nobis, ut nec Capella in Palatio nostro, vel alicubi sine permissu, vel jussu Episcopi, in cujus est Parochia, fiant.*

77.) Ad hos Sacellanos, qui frequenter vocari solent Chori-Vicarii, piam adhortationem habet MOLANUS de Canonicis lib. II. c. 34. VAN ESPEN Jur. Eccl. part. 2. tit. 18. c. 4. n. 21. seq.

*De Beneficiis Ecclesiasticis. 175*

§. 108. Gravis quæstio breviter examinanda venit, an plura Beneficia Ecclesiastica ab eodem Clerico simul haberi possint? ubi prænotandum, fermonem non esse de Coadjutoriis, de Capellaniis Laicis, de Beneficiis Manualibus & aliis, quæ rationem Beneficii proprie dicti non habent. Ceterum ante Beneficiorum divisionem Clerici in sua Ordinatione adscribebantur certæ cuidam Ecclesiæ, ad cuius sacra obsequia erant deputati, & ex cuius bonis alebantur. Illorum temporum Concilia 78.) statuerunt, non licere Clericis in duarum Civitatum Ecclesiis eodem tempore in Catalogum referri. Facta divisione Beneficiorum, Ecclesia eodem semper spiritu animata, per innumeros Conciliorum Canones, & Pontificum Decreta, pluralitatem Beneficiorum gravissimis verbis damnavit; licet contraria

*Beneficiorum pluralitas sæpius damnata,*

con-

---

78.) Concil. CHALCEDONENSE Can. 10. Exempla eorum, qui in ordinatione sua nulli Ecclesiæ adscripti fuerunt, & alia circa hunc Canonem Concilii, refert FRANC. FLORENS ad lib. III. Decretal. tit. 5. de Præbend. &c. tom. 2. fol. 260. seqq.



consuetudo in multis locis non potuerit *præ* multitudine delinquentium emendari 79.), quæ ob redditus immixtos, vel aucto rerum pretio ad congruam sustentationem non sufficientes, saltem in Beneficiis simplicibus tolerabatur: cum autem eadem consuetudo sensim ad Dignitates & Ecclesias Curatas extendere-  
tur, omnibus viribus obstiterunt Concilia & Pontifices, præsertim sæculo XII. & XIII. 80.). Demum Concilium TRIDENTINUM 81.) statuit ut in posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: quod quidem, si ad vitam ejus, cui confer-  
tur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residen-  
tiam non requirat, eidem conferri &c.  
§. 109.

---

79.) C. 15. de Præb. & Dignit.

80.) ALEXANDER III. c. 7. & 14. eod. CONCIL. LATERAN. III. c. 3. de Cler. non resid. LATERANENSE IV. c. de multa. 28. de Præb. & Dignit. JOAN-  
NES XXII. Extrav. Execrabilis. eod. inter commun.

81.) Sess. 7. cap. 4. de Reformat. Clarius autem & exactius Sess. 24. c. 17. de Reform.

De Beneficiis Ecclesiasticis. 177

§. 109. Ex his Tridentini, & priorum Conciliorum definitionibus, quarum integrum contextum referre non patiuntur angustia libelli, infertur I. Divisionem Beneficiorum in *Compatibilia & Incompatibilia*, antiquis Ecclesie sæculis omnino incognitam, tolerari eatenus, ut Beneficio honestam sustentationem non ferenti, possit adijci aliud simplex, nullam Curam animarum, Jurisdictionem aut Administrationem annexam habens, modo utrumque ex alia ratione, forte ex peculiari voluntate Fundatoris, personalem residentiam non requirat. Unde si Canonatus non requirat novem mensium residentiam, nec habeat redditus sufficientes; potest acquiri alius Canonatus similiter brevioris temporis residentiam postulans, ita ut utrique per annum satisfieri possit. Possunt etiam obtineri duo *difformia* in eadem Ecclesia E. G. Dignitas vel Cura cum Canonatu; imo in aliquibus Ecclesiis Dignitates non possunt conferri, nisi Canonicis: Tria tamen, etsi exigua, non possunt conjungi sine Dispensatione.

M

§. 110.

*De Jure Rer. Eccles. Pars poster.*

*Rationes hujus damnationis.*

§. 110. Infertur II. Rationes, ex quibus Sacri Canones pluralitatem Beneficiorum damnant, præcipue esse sequentes. I. quia nemo potest duabus Ecclesiis servire, neque in duabus residere, cum tamen primæva institutio Beneficiorum requirat personale Officium ac Residentiam in illa Ecclesia, in qua Beneficium fundatum est. II. Quia singuli non nisi uni Officio peragendo debent incumbere: *cum unum Officium vix digne valeat aliquis adimplere &c. 82.)*. III. Quia minuitur Cultus Divinus. IV. Quia unus cumulat Reditus, qui sufficerent pluribus idoneis. V. Quia pluralitas Beneficiorum plerumque originem sumit ex ambitione, vel ex avaritia.

*An Contineantur Cardinales?*

§. 111. Infertur III. Hoc Tridentino Decreto contineri etiam Cardinales, qui æque ac alii prohibentur tenere duos Episcopatus, Abbantias &c. Olim quidem ipsa Cardinalitia Dignitas censebatur incompatibilis cum Episcopatu sine dispensatione 83.), nisi in

82.) C. I. de Consuet. in 6.

83.) JOANNES XXII. Talarandum Episcopum Altifiodorenses creavit Cardinalem

*De Beneficiis Ecclesiasticis.* 179

in illis Ecclesiis, quæ Tituli Cardinalium eadem sunt. Licet de Jure id tenendum videatur; alia tamen

M 2

viget

nalem, & concessit perceptionem Redi-  
tuum Episcopaliū per duos menses pro  
expensis itineris Romani. RAYNALD.  
Annal. Eccl. ad ann. 1331. n. 33. CLE-  
MENS VI. anno 1344. Episcopum At-  
rebatensem Cardinalatu insignivit, eum  
simul a vinculo prioris Ecclesiæ absol-  
vens. RAYNALD. ad ann. 1344. n. 68.  
URBANUS VI. suæ causæ fautores con-  
ciliaturus, Cardinales nuntiavit tres E-  
lectores Ecclesiasticos Germaniæ, sci-  
licet Coloniensem, Moguntinum atque  
Trevirensē, qui tamen *hujusmodi Car-  
dinalatus honorem acceptare noluerunt,  
licet Papa præfatis Archiepiscopis Eccle-  
siarum sibi commissarum administratio-  
nem in spiritualibus & temporalibus quoad  
viverent, eis etiam non petentibus, con-  
servasset*, prout narrat THEODORICUS  
A NIEM de Schismate lib. I. c. 44. E-  
piscopus Wormatiensis a Gregorio XII.  
creatus Cardinalis, honorem hunc re-  
cusavit, *timens forte, quod si illum ac-  
ceptaret honorem, alius sibi surrogaretur  
Antistes in Ecclesia Wormatiensi.* Ibid.  
lib. 3. c. 39. MARTINUS V. Joannem  
Archiepiscopum Rothomagensē as-  
sumpsit ad Cardinalatum, & a vinculo,  
quo Ecclesiæ illi tenebatur, absolvit :  
dedit tamen ipsi eandem Ecclesiam in

Com-

180 *Sectio III. Tit. VIII.*

viget consuetudo 84.), videturque Concilium TRIDENTINUM 85.) supponere, quod Cardinalatus possit consistere cum Episcopatu uno 86.). Potest autem hæc consuetudo hodie facilius sustineri, aucto Cardinalium numero, ita ut satis magno numero possint Romæ superesse, & reliqui Episcopalibus Ecclesiis præsidendo, Tridentinis Decretis obsequi. Ne autem Cardinales Episcopi præter Episcopalem Titulum sui Cardinala-

---

*Commendam usque ad beneplacitum nostrum & Sedis Apostolica. Acta omnia videri possunt apud DE MARCA Concord. in Prolegom. fol. XLII. seqq.*

84.) CAJETANUS in 2.2.q. 185. art.5. perpenso textu c. 3. de Postulat. Prælat. infert, quod Cardinalatus & Episcopatus sint de numero incompatibilium de jure, quidquid sit de consuetudine; si tamen consuetudo, & non potius abusus appellanda est.

85.) Sess. 23. C. 1. de Reform.

86.) FAGNANUS ad Cap. *Bonæ memoriæ.* de Postulat. Prælat. n. 23. notat, juxta stylum Romanæ Curia, Cardinali, qui in Urbe residere debet, non solere Episcopatum conferri in Titulum, sed in Commendam, ut ex illius fructibus decenter sustentari valeat, ex quo incompatibilitas arguitur.

*De Beneficiis Ecclesiasticis.* 181

nalatus aliam retineant Ecclesiam  
Episcopalem non Cardinalitiam, Car-  
dinalis BELLARMINUS vehementer ur-  
gebat CLEMENTEM VIII, cum neque  
utilitas, neque necessitas Ecclesie  
videatur hac in re suadere dispensa-  
tionem: Pontifex tamen noluit re-  
darguere facta Prædecessorum suo-  
rum, & tot Cardinalium &c. 87.)

§. 112. Infertur IV. Ambitionem *Prætex-*  
& avaritiam tegi plerumque variis *tu va-*  
*prætextibus*, sub quorum pallio in-  
valuit Beneficiorum pluralitas non *obtin-*  
*obstantibus* tot Decretis 88.). I. *dis plu-*  
ex fallaci principio, quod quis Of-  
ficio & oneribus Beneficio etiam *Benefi-*  
Curato annexis per alium satisfac-  
re possit. II. Ex usu Commendarum:  
cum enim GREGORIUS IX, 89.) vi-  
deatur approbare regulam, quod li-  
ceat unam Ecclesiam intitulatam, al-  
teram commendatam habere; hac do-  
ctrina multi abusi sunt, retinendo  
commendatam Ecclesiam per omnes

M 3 vitæ

---

87.) THOMASSIN. p. 2. l. 3. c. 5. n. 17.

88.) VAN ESPEN Jur. Eccl. p. 2. tit. 20.

c. 2.

89.) C. 54. §. 5. de Elect.

vita dies, quam retinere non patiuntur Canones ultra sex menses 90.). III. Ab eodem GREGORIO post ALEXANDRUM III. 91.) approbatur regula, posse haberi duas Ecclesias, quarum una pendet ab altera, id est, quarum una est alteri unita: inde rursus abusus & prætextus, dum uniebantur duæ Ecclesiæ absque necessitate & utilitate Ecclesiarum, sed solummodo pro commodo & ad vitam Clerici. Unde potest quis cum Ecclesia Parochiali habere Capellam unitam, modo vocetur Capella in fraudem legis talis Ecclesia, quæ alioquin habuisset proprium Presbyterum. IV. Permittitur pluralitas Ecclesiarum, si ita fuerint tenues in substantia, quod proprios Sacerdotes non possint convenienter alere 92.). Inde rursus vani prætextus innumeri, si cujusvis arbitrio relinquatur determinandum, quænam proventuum quantitas sufficiat. Ex hac ratione plerique jam credunt, non esse opus dispensatione ad Beneficium

---

90.) C. 15. de Elect. in 6.

91.) C. 4. de ætat. & qualit. præficien.

92.) Ibid.

*De Beneficiis Ecclesiasticis.* 183

ficium secundum, quia credunt, primum non sufficere. V. Vehementer etiam invalescere Beneficiorum pluralitatem experimur ex spe facilis dispensationis. Postquam in Concilio LATERANENSI 93.) declaratum fuit, circa sublimes & literatas personas, quæ majoribus Beneficiis sunt honorandæ, cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam posse dispensari; mox petita & impetrata, vel potius per improbitatem importunam petentium a Romanis Pontificibus extorta 94.), fuerunt dispensationes adeo frequentes, ut tandem tanquam jus ordinarium invaluisse videantur 95.): unde ejusmodi dispensationes, utpote odiosæ, sunt strictè interpretandæ 96.): & exhibendæ Episcopo petenti 97.): Pontifex etiam æquanimiter sustinet, si Ordinarius Literas Apostolicas non exequatur, quibus sine scandalo satisfieri non potest 98.). Hanc enim

M 4

re-

93.) C. 28. de Præbend.

94.) Extrav. Execrabilis. 4. inter comm. de Præbend. & Dignit.

95.) Innuat c. 3. de Offic. ordinari. in 6.

96.) C. 21. de Præb. in 6.

97.) Cit. c. 3. & Trid. Sess. 7. c. 5.

98.) Verba sunt Pontificis in C. 6. de Præbend. & Dignit.



regulam dispensationum suarum proponunt Pontifices, semper improbandam esse superfluitatem, nonnunquam tolerandam pluralitatem, statu personæ provida consideratione pensato.

*Non  
nun-  
quam  
datur  
legitima  
Causa.*

§. 113. Infertur V. Posse nonnunquam concurrere circumstantias, quæ omnes inordinationes pluralitati plerumque conjunctas abstergant, eamque inspecto solo jure naturali licitam reddant. Tales sunt defectus idoneorum Clericorum: paucitas reddituum &c. de quibus judicium ferre debent Prælati Ecclesiæ per dispensationem ex justis verisque causis obtentam, quam hodie concedit Romanus Pontifex ob aliquam necessitatem, in iis præcipue casibus, quando unus potest facile satisfacere obligationibus utriusque Ecclesiæ, vel populi necessitati. Olim Episcopi suam autoritatem in his negotiis sufficere censebant. Unde S. UDALRICUS Episcopus Augustanus Abbatiam Ottenburanam sibi concedi ab Imperatore petiit, eo animo, ut privilegio libertatis obtento, eam iterum ad Abbatem Regularem devolveret.

ret 99. ). Eodem spiritu animatus S. WOLFGANGUS Episcopus Ratisponensis celeberrimam S. Emmerami Abbatiam, quam Episcopi antea administraverant, antiquæ Regularitatî reddidit. Similiter optimo Zelo alii Episcopi susceperunt Abbantias, vel etiam petierunt, quia a temporibus Caroli Martelli maximam Cœnobi-  
orum partem Reges ipsi usurpabant, suoque arbitrato ea vel retinebant ipsi, vel dabant etiam Laicis.

§. 114. Infertur VI. Duo Beneficia Curata, duas Dignitates aut per-*Incom-*  
*patibilia*  
sonatus, duo Officia & Administra-*primi*  
tiones, duo Beneficia omnino uni-*vel 2di.*  
formia sub eodem tecto, quæ æqua-*generis* :  
les functiones eodem loco, & tem-  
pore peragendas exigunt, esse ex na-  
tura sua ita incompatibilia, ut ob-  
tenta pacifica & fructifera possessio-  
ne alterius, ipso jure amittatur pri-  
mum 100. ) : quæ proin solent dici

M 5 in-

---

99. ) Sic legitur in Vita S. Udalrici 4. Ju-  
lii cap. 10.

100. C. 28. de Præb. & Dignit. c. 26. eod.  
in 6. Clement. 3. eod. Extrav. execrabi-  
lis. inter com. eod. C. 1. de Consuet. in 6.

incompatibilia primi generis. Alia Beneficia ex Juris dispositione incompatibilia, scilicet duo simplicia, quorum quodlibet idoneam sustentationem suppeditat; duo Canonicatus, aut Capellanix in diversis Ecclesiis, si utrinque debita Residentia expleri nequeat, solent a multis dici incompatibilia secundi generis, quæ quidem non licet absque legitima dispensatione simul retinere; obtento tamen secundo non ipso jure vacat prius, quamvis si quis utique pergeret insistere, per Superiorem esset cogendus, ut unum ex ambobus eligat, alterum dimittat.

*Que distinctio videtur sublata per Concilium Trid.* §. 115. Verum dubitant multi, an hæc distinctio inter primi, & secundi generis incompatibilia non sit sublata in Concilio TRIDENTINO, quod videtur de omnibus ex quacunque ratione incompatibilibus decernere, ut quicumque plura Curata, aut alias incompatibilia Beneficia Ecclesiastica recipere ac simul retinere præsumpserit, Beneficiis ipsis ipso jure privatus existat 1.), scilicet ut sit privatus Beneficio prius habito, & si forte illud retinere contenderit, etiam alio spoliatur, uti lo-

1.) Conc. TRID. Sess. 7. c. 4. de Reform.

*De Beneficiis Ecclesiasticis.* 187

loquitur INNOCENTIUS III. in Constit. *De multa.* ad quam se refert TRIDENTINUM. Ex hac ipsa autem relatione censent aliqui, hanc privationem *ipso jure* incurrendam intelligi solummodo circa Beneficia ab INNOCENTIO III. nominata, scilicet Curata, Dignitates & Personatus 2.) : alii tamen melius sentiunt, idem Decretum Tridentinum attingere etiam, *alias incompatibilia Beneficia*, forte ratione Residentiæ, aut sufficientis sustentationis, etiamsi sint simplicia, aut Capellaniæ 3.) . Id tamen notandum, etiam si

- 
- 2.) PIRRHING ad lib. 3. Decretal. tit. 5  
n. 149.  
FRANC. SCHMIER Jur. Can. univ. lib.  
3. tr. I. p. 2. c. 3. n. 82.  
PLACIDUS BÖCKHN ad dict. tit. 5.  
n. 20.
- 3.) HIER. GONZALEZ. ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 15. n. 17.  
FRANC. A MOSTAZO de Causis piis. lib.  
3. c. 12. n. 8. & 9.  
GARZIA de Beneficiis p. II. c. 5. n. 84.  
seqq.  
PIGNATELLI tom. 10. Consult. 156. n. 10.  
Nihilominus etiam rigidiores Doctores  
faciunt discrimen inter obligationem  
Residentiæ *precise sub privatione tituli*  
&

si ipso jure vacet Titulus prioris Beneficii, & ideo alteri conferri possit; nihilominus iste non debet in possessionem ipsius corporalem induci non vocato priore possessore, cum illi forsitan possit jus competere Beneficium prius retinendi 4.)

*Plurali- §. 116. Infertur VII. Pluralitati  
tati Be- Beneficiorum non favere Concilium  
nesicio- EPHESINUM 5.) confirmando veterem  
rum nul- morem in Provinciis Europæ, quo  
la favet singuli Episcopi duos vel tres sub se  
Autori- habebant Episcopatus, hoc est Civita-  
tas. tes, quæ nunquam proprios acceperant  
Episcopos, licet ob suam frequentiam  
& celebritatem potuissent habere. Nec  
favet*

---

*& causativa sub privatione fructuum, de  
quo videri possunt præter allegatos,  
etiam antiquiores INNOCENTIUS, AN-  
TONIUS DE BUTRIO, IMOLA ad Cap.  
fin. de Cler. non resid. & Recentiores  
GRATIANUS Discept. forens. tom. 1.  
c. 133. n. 28. Card. DE LUCA de Bene-  
ficiis disc. 58. seqq.*

4.) Ita statuit BONIFACIUS VIII. c. 28.  
de Præb. & Dignit. in 6. vid. PASSE-  
RINUS ibid. & FRANC. FLORENS tom.  
2. fol. 278.

5.) Act. VII. cui consonat L. 36. C. de  
Episc. & Cler.

*De Beneficiis Ecclesiasticis.* 189

favet exemplum EUPHRONII & aliorum, qui vel ex necessitate, vel ex vera utilitate Ecclesiæ, non autem ad proprium emolumentum plures inviti suscipiebant Ecclesias regendas 6.); nec excusari quis poterit ex doctrina S. THOMÆ, qui etsi mollius loqui videatur 7.), pluralitatem tamen Beneficiorum nequaquam approbat 8.); quamvis forte non omnino fuerit convictus de incompatibilitate Beneficiorum ex rationibus famosi conventus Theologorum Parisiensium 9.).

§. 117.

6.) Similia plura exempla videri possunt apud THOMASSIN. Vet. & nov. Discipl. p. 2. l. 3. c. 1. & seqq.

7.) Quodlibet. 8. quæst. 6. art. 13. & quodlib. 9. art. 15. ubi videtur supponere, quod aliquis habens plures præbendas possit ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adduci, & sic non peccet.

8.) Vid. DIONYSIUS CARTHUSIANUS tract. contra pluralit. Benefic. art. 9.

9.) De hoc Conventu ex Thoma Cantipratano loquitur THOMASSINUS p. 2. l. 3. c. 9. n. 9. SPONDANUS ad ANN. 723. n. 15. seq.

*Doctri-* §. 117. Ex dictis liquet, incom-  
*na de* patibilitatem Beneficiorum præcipue  
*Residen-* oriri ex obligatione residendi. *Resi-*  
*tia* *dentia* autem est præsentia personæ,  
 seu commoratio assidua, in loco be-  
 neficii, ad effectum illi Ecclesiæ per-  
 sonaliter deservendi. Dividitur in  
*Veram*, & *Fictam*. Vera vel est *Vo-*  
*luntaria*, quando Beneficiatus non te-  
 netur absolute esse præsens, sed tan-  
 tum conditionate, si velit percipere  
 fructus; hos si percipere non cupiat,  
 potest abesse, & tamen retinere alia  
 jura Capituli; vel *Necessaria*, quando  
 absolute obligatur esse præsens, sive  
 velit percipere fructus, sive non. Et  
 hæc quidem vel est *præcisa*, ut absque  
 ea retineri titulus Beneficii non pos-  
 sit: vel *causativa*, quando absque il-  
 la titulus retinetur. *Ficta* Residentia  
 datur, quando Beneficiatus perso-  
 naliter quidem præsens non est, fi-  
 ctione tamen Juris habetur pro præ-  
 sente in ordine ad lucrandos fructus.  
 Tali modo residere finguntur duo  
 Canonici in servitio Episcopi occu-  
 pati 10.) : item operam dantes Theo-  
 logiæ

---

10.) C. 15. de Cler. non resident.

**De Beneficiis Ecclesiasticis. 191**

logia vel Juri Canonico in Universitate publica & probata II. ).

§. 118. Episcopi, Parochi, & alii *Curato-*  
*Curatum Beneficium habentes, te-*  
*rum.*  
nentur etiam jure Divino & Natu-  
rali residere cum effectu in suis Ec-  
clesiis, saltem in thesi, nisi scilicet  
gravis causa excuset, & alio modo  
provideatur saluti animarum 12.) :  
dum

---

11.) C. fin. de Magistr. C. 12. de Cler. non  
resid. Conc. TRID. sess. 5. c. 1. de Re-  
form.

12.) Eruitur ex Concil. TRID. sess. 6.  
c. 2. & sess. 23. c. 1. de Reform. ubi Sy-  
nodus sic loquitur : *Cum præcepto Di-*  
*vino mandatum sit omnibus, quibus ani-*  
*marum cura commissa est, oves suas agno-*  
*scere, pro his sacrificium offerre, Verbi-*  
*que Divini prædicatione, Sacramentorum*  
*administratione, ac bonorum omnium ope-*  
*rum exemplo pascere, pauperumque alia-*  
*rumque miserabilium personarum curam*  
*paternam gerere, Et in cetera munia pa-*  
*storalia incumbere; quæ omnia nequaquam*  
*ab eis præstari Et impleri possunt, quæ*  
*gregi suo non invigilant, neque assistunt,*  
*sed mercenariorum more deserunt Et c.*  
Cur Synodus ex his non expresse decla-  
raverit, mansionem esse Juris Divini,  
videri potest apud SFORT. PALLAYI-  
CINUM Hist. Concil. Trid. lib. 16. c. 4.  
& alibi.



dum autem Synodus Tridentina Episcopum obligari dicit ad residentiam in sua Ecclesia vel Diocesi, inferri potest, eum satisfacere, si extra locum Cathedralis Ecclesiae habitet in alio loco suae Diocesis 13.). Causae autem legitimae, excusantes a Residentia enumerantur Christiana Caritas, urgens Necessitas, debita Obedientia, ac evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas. Nihilominus, quoniam qui aliquantisper tantum absunt, non videntur abesse, permittitur Episcopis absentia ad duos vel tres menses singulis annis, ex alia etiam aequa causa, & absque gregis detrimento, modo non absint Dominici Adventus, Quadagesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes & Corporis Christi diebus. Curati inferiores causa per Episcopum cognita & probata, ac relicto Vicario idoneo, discedendi licentiam ultra bimestre tempus non obtineant: usus autem habet, ut per paucos dies absque petita licentia absint.

§. 119.

---

13.) Sic Episcopus Augustanus plerumque moratur Dilingae, & Constantiensis Marisburgi.

*De Beneficiis Ecclesiasticis. 193*

§. 119. Canonici & alii Beneficiati *Non Curati*, tenentur quidem *ex ratorum:* primæva Ecclesiæ & Fundatorum intentione residere in Ecclesiis suis, & per se ipsos officia Ecclesiastica obire, cum Beneficium detur propter Officium, & olim Clerici per ipsam Ordinationem alligati fuerint obsequio certæ Ecclesiæ. Nihilominus Canonici ex honesta causa, quæ ipsorum conscientia permittitur, per tres menses, id est, per 90. dies continuos, vel interruptos, possunt abesse quolibet anno, salvis earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitiū tempus requirunt 14.): usus tamen, vel abusus in plerisque Germaniæ Canonicatibus requirit brevius tempus ad lucrandos fructus grossos totius anni. Alia Beneficia simplicia ex consuetudine & tolerantia non requirunt Residentiam personalem; sed potest illis satisfieri per alium, nisi Fundator expressis verbis postulet, ut Beneficiatus per seipsum impositas functiones peragat. Pœnas

N non

---

14.) Conc. TRID. sess. 24. c. 12. de Reform.

*De Jure Rev. Eccles. Pars poster.*

non residentium constituit Concilium TRIDENTINUM 15.) varias, præsertim restitutionem fructuum perceptorum pro rata temporis absentia.

*Quoad Distributiones quotidianas.* §. 120. Quæ hactenus de Residentia diximus, respiciunt annuos fructus grossos, ut vocant, seu fructus Præbendæ. Strictior requiritur Residentia & Præsentia in Choro ad lucrandas *Distributiones quotidianas* 16.), quas non solum firmavit, sed etiam ad acuendam Clericorum Diligentiam augeri voluit Synodus TRIDENTINA 17.). Hæ præsentibus in Choro tantum

---

15.) Locis citatis. Consulantur Commentatores Decretalium ad Lib. III. tit. 4. de Clericis non residentibus, præsertim FAGNANUS. Item Jac. PIGNATELL. tom. 4. Consult. 17. ubi de absentia tempore pestis. FRANCISCUS TORRES, & AMBROSIUS CATHARINUS de Residentia Pastorum, acerbe sibi invicem adversantes. ANTONIUS PAGANUS de Ordine, Jurisdic. & Residentia Episcop. sect. 8. seqq. THOMAS CAMPEGIUS de Resid. Episcop.

16.) Hæ vocantur etiam *Præsentia, Virtualia, Manualia* &c. c. 7. de Cler. non resid. c. un. eod. in 6.

17.) Sess. 21. c. 3. & sess. 22. c. 3. de Reform.

*De Beneficiis Ecclesiasticis.* 195

tum destinantur, ita ut etiam legitime absentes regulariter iis non gaudeant 18.), nisi quos interesse prohibet Infirmitas, justa & rationabilis corporalis necessitas 19.), aut evidens Ecclesiæ utilitas: modo quis stante tali causa, præsens sit in loco Beneficii 20.), & alias consueverit Choro interesse. Nominatim præsens in Choro censetur Canonicus

N 2 Pœ-

---

18.) C. 32. de Præbend. item c. 7. & c. un  
citatis.

19.) Sub hac necessitate communiter intelligitur dies, quo quis sumit potionem medicam, sanguinem mittit &c. Non autem censetur validum statutum aut consuetudo percipiendi distributiones earum horarum, sub quibus raditur barba, excipitur hospes, inuisitur amicus, prout contra Navarrum Tract. de Orat. & Hor. Canon. c. 5. n. 21. & c. 21. n. 64. bene docet MONETA Tract. de Distribut. quotid. part. 2. quæst. 13. n. 45. Unde etiam GARCIA de Beneficiis p. 3. c. 2. n. 245. censet, revocatum esse statutum aut consuetudinem aliquarum Ecclesiarum, in quibus ultra tres absentiae menses a Concilio Tridentino permisso, datur singulis mensibus unus dies pro tonsione barbæ.

20.) Arg. c. 30. de Elect. in 6.

196 *Sectio III. Tit. VIII.*

Pœnitentiarius , dum Confessiones in Ecclesia Cathedrali audit 21.); vel qui in Parochia suo Canonici/ incorporata, Curæ animarum affixus est, nisi alia sit consuetudo vel Statutum Ecclesiæ 22.). Econtra Vicarius Generalis Episcopi, ac duo illi Canonici, quos Episcopus penes se retinere permittitur, censentur quidem residere in loco, ad percipiendos fructus Præbendæ; non autem censentur interesse Choro in ordine ad lucrandas Distributiones: quamvis enim eorum functiones indirecte cedant in utilitatem Ecclesiæ; primario tamen & directe respiciunt sublevamen Episcopi 23.). Sunt tamen

---

21.) Conc. TRID. sess. 24. c. 8. de Reform.

22.) Ibid. sess. 22. c. 3. de Reform.

23.) P. PLACIDUS BÖCKN de Cler. non resid. n. 49. allegans P. KÖNIG, hic allegans P. ENGL, iste ad cit. tit. n. II. allegans REBUFFUM, ex Concilio CONSTANTIENSI sess. 19. desumunt, gaudere Distributionibus quotidianis eos, qui ad Concilium Generale sunt missi; unde etiam plures Conclusiones ob paritatem rationis deducunt: cum tamen hæc Synodus loquatur solummodo de  
omnib.

*De Beneficiis Ecclesiasticis.* 197

men Autores, in Distributionibus concedendis adeo liberales, ut binas adstruant illi, qui duplicem in Ecclesia personam gerit, dum obtinet Dignitatem simul & Canonatum 24.), licet unicam praesentiam unicumque Ecclesiae servitium praestare possit. Universim hac in re notandum est, opiniones, consuetudines, ac statuta non facile admitti

N 3                      debere

---

omnibus fructibus & proventibus, cum expressa clausula, *quotidianis distributionibus duntaxat exceptis*. apud HARDUIN. tom. 8. col. 464. ad exemplum Concilii VIENNENSIS, ubi CLEMENS V. Pontifex permittit Capellanis vel Clericis, qui Episcopos ad Concilium comitati fuerant, ut per triennium ad residendum non teneantur, & tamen percipiant redditus & proventus Beneficiorum suorum, *quotidianis Distributionibus duntaxat exceptis* Ibid. tom. 7. col. 1348. Si quis in gratiam alterius a praesentia in Choro impediri se patitur, curet, ut sibi ab eodem compensetur damnum.

24.) Duplicem Distributionem ejusmodi Canonico concedit BARBOSA in Collect. ad c. cum olim. 12. de Sent. & re jud. cum aliis, quos refellit MONETA de Distrib. quotid. p. 2. q. 4. n. 6. seqq.

debere, quæ perceptionem Distributionum ultra casus in jure expressos extendant; sed potius eas restringendas, ut satisfiat fini & intentioni Ecclesiæ ac Fundatorum. Si quis autem absens, nec alio jure percipiendi distributiones munitus, eas nihilominus percipiat, nullum earum dominium acquirit: nec possunt Canonici præsentibus eas illi condonare, aut remittere 25.).

*Quid de portione* §. 121. Quoad portionem autem ex absentia unius vacantem, variæ *Distributio-* fiunt distinctiones. Si cuilibet præ-  
*num vacante?* senti in individuo fixa sit certa portio E. G. unius aurei, tunc absentium portiones fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicentur 26.),  
saltem

---

25.) C. un. de Cler. non refid. in 6. Conc. TRID. sess. 24. c. 12. de Reform. ibi: *quavis collusione aut remissione exclusa.*

26.) Conc. TRID. sess. 22. c. 3. de Reform. Conciliationem hujus textus cum verbis ejusdem Concilii sess. 21. c. 3. de Reform. videre licet apud GARCIAM de Benefic. p. 3. c. 2. n. 459. & seqq. MONETA tr. de Distrib. quotid. part. 3<sup>a</sup> q. 6.

*De Beneficiis Ecclesiasticis.* 199

faltem pro eo casu, quo distributio-  
num quantitas ab alia massa commu-  
ni est separata: si autem distributio-  
nes defumantur ex quadam massa  
communi, portio deficiens rema-  
neret apud eandem massam. Si ve-  
ro in genere certa quantitas præsen-  
tibus assignata sit, portio absentium  
accedit præsentibus jure accrescendi,  
vel certe non decrescendi. Atten-  
denda

N 4

---

q. 6. n. 28. seqq. & alios ibi allega-  
tos. Autores de Beneficiis Ecclesiasti-  
cis scribentes, sunt innumeri: Com-  
mendari præ ceteris merentur MEL-  
CHIOR LOTTERIUS de Re Beneficia-  
ria, NICOLAUS GARZIAS de Benefi-  
ciis Eccles. PYRRHI CORRADI Praxis  
Beneficiaria, LEURENII Forum Bene-  
ficiale, PETRUS GREGORIUS *Tholosanus*  
de Benef. Eccl. PETRI REBUFFI  
Praxis Beneficiorum, LUDOVICUS  
THOMASSINUS de nova & veteri Dis-  
ciplina Eccles. circa Beneficia. Varii  
in Tr. Tract. tom. XV. Univerſim  
notamus, quo sequiora fuerunt sæcula,  
eo spissiores de Beneficiis Ecclesiasticis  
Tomos in publicum esse editos. Faxit  
Deus, ut eorum usus & utilitas cesset,  
sopitis finistris affectibus, ex quibus  
Beneficia ambiuntur, & lites plurimæ  
oriuntur.



denda tamen est consuetudo Ecclesiarum, vel mens Fundatorum. Porro quæ dicta sunt de Distributionibus quotidianis, intelligi etiam debent de Largitionibus, quæ in Anniversariis defunctorum præsentibus Clericis, aut etiam aliis fieri solent.

**TITULUS IX.**  
**DE ADQUIRENDIS, VEL**  
**AMITTENDIS BENEFICIIS.**

*Confer. Lib. 3. Decretal. tit. 8.*  
*Sext. tit. 7. Clement. tit. 3. Extrav. tit. 4.*

*Item Lib. 1. Decretal. tit. 9. Sext. tit. 7. Clement. tit. 4.*

§. 122.

*Aquiri- tur Jus in Beneficio, vel ad Beneficium* **A**DQUIRITUR vel *Jus in Beneficio* per Electionis Confirmationem, Postulationis Admissionem, Præsentati Institutionem & Collationem, ita ut Beneficium fiat proprium Beneficiati, qui obtinet potestatem administrandi illud, etiam ante captam possessionem 27.): vel *Jus ad Beneficium,*

---

27.) C. 17. de Præb. in 6.

*De adquir. vel amitt. Benef. 201*

*ficium*, Electione, Præsentatione, Collatione nondum acceptata, Vigore Gratia Expectativa, Mandato de providendo, Reservatione in favorem cujusdam, Jure optandi Præbendam pinguiorem, Coadjutoria cum jure successionis.

§. 123. De Electione & Postulatione, earumque Confirmatione & Admissione, item de Coadjutoria dictum est alibi (De Hierarchia Ecclesiastica). *Institutio* nonnunquam late sumitur pro omni Collatione 28.): striete dicta, est Canonica Ordinatio facta per eum, ad quem spectat, in Beneficio vacante de Clerico per Patronum legitime præsentato. *Collatio* proprie talis est voluntaria Beneficii concessio, Superioris arbitrata sine ulla prævia Electione, Postulatione, aut Præsentatione.

§. 124. Quacunque ratione concedatur Beneficium, debet illud prius vacare, ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & Beneficium se crediderit successurum 29.).

N 5

Va-

28.) C. 1. de R. J. in 6.

29.) C. 2. de Concess. Præb. & Eccles. non vacant.

Vacare autem Beneficium dicitur, vel *de Jure tantum*, vel *de facto tantum*, vel *de Jure & de facto simul*; seu quando caret Proprietario, vel Possessore, vel utroque. Vacatio hæc contingit vel *naturaliter* per obitum Beneficiati; vel *civiliter* per Renuntiationem expressam aut tacitam, per privationem Juris aut Hominis; vel *interpretative*, quando Beneficiatus impeditur ab officiis & servitiis peragendis. Quando quis impetrare vult Beneficium, debet exprimere, quod vacet, & quo modo vacet Beneficium. Collatio, imo etiam promissio Beneficii determinati vel indeterminati 30.), quod non *vere & de Jure* vacat, est nulla & irrita, licet sit firmata Scriptura vel Juramento 31.). Quamvis hæc Jura absolutam Potestatem Summi Pon-

---

30.) Promissio Beneficii indeterminati *cum potero, cum facultas se obtulerit*, toleratur quidem in c. 14. de concess. Præbend. &c. sed reprobatur in c. 2. eod. in 6. quo Jure, utpote posteriore & prioris derogatorio nunc utimur.

31.) C. 2. 3. II. 13. de Concess. Præb. &c. C. 2. eod. in 6. Conc. TRID. Sess. 24. c. 19. de Reform.

*De adquir. vel amitt. Benef. 203*

Pontificis non ligent; nihilominus post Concordata cum Germanis inita, non solet Papa in his partibus conferre Beneficia nondum vacantia.

§. 125. Ne vacante Beneficio Cu- In Bene-  
rato salutis animarum præjudicium ficio Cu-  
creetur, debet Episcopus statim, habi- rato va-  
ta notitia vacationis Ecclesiæ, si opus cante  
fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum mox  
congrua, ejus arbitrio, fructuum portio- constitu-  
nis assignatione, constituere, qui onera itur Vi-  
ipsum Ecclesiæ sustineat, donec ei de Re- carius:  
dote provideatur 32.). Hæc deputa-  
tio Vicarii Episcopo competit in  
omnibus Ecclesiis, etiam Sedi Apo-  
stolicæ reservatis, seu ad quemcun-  
que Collatorem pertinentibus. Por-  
tio congrua pro Vicario detrahatur  
ex Reditibus Ecclesiæ, quiscunque  
demum ad Reditus vacantis Eccle-  
siæ jus habeat; nam non aliter pos-  
sunt ad aliquem spectare, nisi de-  
ductis oneribus, inter quæ est por-  
tio Vicario debita. Hic sustinere  
debet onera Ecclesiæ Pastoralia, non  
autem ea, quæ alias sunt annexa.  
E. C. si Parochus simul esset Cano-  
nicus

nicus in aliqua Ecclesia, Vicarius non fungitur munere Canonici.

*Præfixo tempore providetur:* §. 126. Curandum est, ne Beneficia cum detrimento Cultus Divini nimis longo tempore vacent. Unde libera Collatio fieri debet intra sex; Electio intra tres 33.); Præsentatio a Patrono Laico intra quatuor 34.), ab Ecclesiastico intra sex menses 35.);  
Patro-

---

33.) Intelligitur Electio proprie dicta in Cathedralibus & Regularibus Ecclesiis: nam ad Ecclesias inferiores non est proprie Electio; sed observatur tempus Collationi, vel Institutioni præfixum, licet Collatio vel Præsentatio fiat collegialiter per plura suffragia.

34. In summis Principibus non attenditur scrupulose ad tempus. GARCIA de Benefic. part. 10. c. 2. n. 34. in fin. BARBOS. de Offic. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 137. Card. de LUCA de Jure Patron. disc. 64. n. 4. videntur quidem solum loqui de Rege Hispaniæ: sed ex paritate rationis hoc intelligitur de omnibus summis Principibus, utpote qui *præsumuntur occupationibus distracti, & negotiis variis impediti.* CASTROPAL. tract. 13. de Benefic. Eccl. disp. 2. punct. 5. n. 4. Alii Patroni privati probare impedimentum debent.

35.) C. 3. 22. 27. de Jure Patron.

*De acquir. vel amitt. Benef. 207*

Patronatui mixto ex Laicis & Ecclesiasticis concedi semestri, æquius videtur. Post factam Præsentationem, non invenitur præfixum tempus Institutioni: ex generali tamen doctrina vacare Beneficium non deberet ultra sex menses. Beneficia vacantia apud Sedem Apostolicam confert Pontifex intra mensem a die vacationis numerandum, quo elapso non impedit Collationem Ordinarij 36.): Vacantia in Mensibus Papalibus confert intra tres Menses a die notæ vacationis in loco Beneficii 37.). Si Beneficium curatum, Sedi Pontificiæ reservatum, vacare incipiat eadem Sede vacante, vel saltem Pontifice moriente de eodem nondum sit dispositum, mox subintrat Ordinarius Collator 38.). Idem  
in

---

36.) C. 3. de Præb. in 6.

37.) GREGORIUS XIII. declaravit sufficere, modo Collatio fit facta intra tres menses a tempore notæ in loco Beneficii vacationis numerandos; licet executio nondum sit facta in loco Beneficii. Vid. NICOLARTS prax. Benefic. fol. 150. seqq. Germani tamen vix permoveri possunt, ut hac declaratione absque suo præscitu facta, stringi se credant.

38.) C. 35. de Præb. in 6.

in praxi extenditur ad alia Beneficia non Curata, Pontifici reservata 39.). Quando Ordinarius Collator tempus præfixum elabi patitur, locum habet *jus Devolutionis* ad immediate Superiorem: in Beneficiis autem libera Collationis devolvitur Jus ab Episcopo ad Capitulum. Si Præsentationem Patronus præfixo tempore non fecerit, Episcopus libere confert Beneficium: si alius habeat jus nominandi, alius præsentandi, Episcopus merito respicit ad factam nominationem, moras ducente Patrono Præsentante.

*Et conceditur possessio,* §. 127. Si Beneficium quoad titulum sit collatum, restat, ut concedatur etiam possessio, sola quidem  
Auto-

---

39.) JOAN. A CHOKIER Comment. in Reg. 8. Cancell. n. 28. & NICOLARTS Prax. Benefic. tit. 1. dub. 11. §. 2. laudant S. Sedis Apostolicæ cum Ordinariis Germaniæ benignitatem, quod etiam sibi soli legem statuendo contra jus commune, patiat devolutionem fieri a supremo ad inferiorem. Verum in ejusmodi casibus locum non habet jus devolutionis: sed solummodo removetur Reservatio, quæ impedivisset Ordinarium a Collatione.

*De acquir. vel amitt. Benef. 207*

Autoritate Ecclesiastica quoad Jus spirituale; nonnullibi autem interveniente etiam Autoritate Principis Laici quoad Jura temporalia. Sæpe contingit, ut possit conferri titulus, altero, qui forte aliud incompatible obtinuit, adhuc remanente in Possessione, quamvis ipso jure Beneficium vacare censeatur. In ejusmodi casu circa Possessionem observandum est, quod supra dictum (Tit. præced. VIII. §. 115. in fin.).

§. 128. Cum de aliis modis acquirendi Beneficium alibi sit sermo, brevem hoc loco mentionem facimus de *Optione Canonica*. Optio autem, prout huc pertinet, est Jus Capitulo, seu Collegiali Ecclesiæ ex consuetudine vel Statuto competens, ut antiquiores gradatim vacantem præbendam, quæ reservata non sit 40.), propria dimissa, intra

cer-

---

40.) Ex paritate rationis non datur jus optandi Beneficia Patronata. An autem in Præbendis ex causa permutationis, vel resignationis vacantibus locum habeat optio, videri potest

PETRUS DE  
URBAL



certum tempus eligere possint 41.). Ista potestas toti Collegio dat jus ad rem: per ipsam vero optionem actualiter secutam acquiritur jus in re. Optio quidem proprie ac principaliter locum habet in Canonicis: nonnunquam ad alia extenditur. Sic Cardinales possunt optare vacantem Titulum in eodem Ordine: vel etiam ascendere ad superiorem 42.): Equites Melitenses pinguiorem Commendam: Canonici meliores ædes. Regulariter Optio debet fieri intra viginti dies a tempore cognitæ vacationis. Ordo autem, quo Canonici admittuntur ad Optionem, varius est in variis Ecclesiis: nam vel Turnus observatur  
ab

---

UBALDIS de Permut. Benefic. n. 92. seqq. HIER. GIGAS de Pensionib. quæst. 63. n. 14. uterque habetur Tr. Tr. tom. 15. p. 1. Leuren. for. Benefic. p. 3. q. 292. FLAM. PARISIUS de Resign. benef. lib. 1. q. 4. n. 55. & lib. 2. q. 20.  
41.) Desumitur ex C. fin. de Consuet. in 6.  
42.) Vid. SIXTI V. Constit. postquam verus. 50. §. ut vero. 8. Card. DE LUCA Relat. Cur. Rom. discurs. 5. n. 29. & 31. Hierarch. Eccles. §. 268.

*De adquir. vel amitt. Benef. 209*

ab antiquiore gradatim ad novissimum; vel ubi diversi sunt Ordines Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum, primo loco optandi jus habet primus Presbyter, dein primus Diaconus, post hunc primus Subdiaconus, quem sequitur secundus Presbyter & sic deinceps, ita ut etiam constitutus in ordine inferiori possit optare Præbendam Presbyteralem vacantem, modo fiat Presbyter 43.). Sicut autem Optio non profluit ex Jure communi, sed potissimum ex consuetudine & Statu-

O tis

---

43.) Per diversos ordines Præbendarum vel Titulorum, non semper intelliguntur Ordines Sacramentales: sed tantum diversæ classes eorum, qui aliquod Collegium constituunt. Sic multi ex Cardinalibus Presbyteris sunt Episcopi, uti defacto omnes nostri Cardinales in Germania; non tamen sunt in ordine Cardinalium Episcoporum, donec obtineant Episcopatum, cui Cardinalatus est annexus. Multi etiam Cardinales Diaconi ex devotione assumunt Presbyteratum, & tamen manent in ordine Cardinalium Diaconorum, ut observavi in libello de Hierarch, Eccles. §. 268.

*De Jure Rev. Eccles. Pars poster.*

tis Ecclesiarum: ita etiam hæ Con-  
suetudines & Statuta particularia de-  
bent esse unica regula, cui confor-  
matur jus optandi observata tamen  
æquitate, ubi nihil clare est deci-  
sum 44.)

*Et Per-* §. 129. Inter modos acquirendi  
*mutati-* Beneficium numerari solet *Permuta-*  
*onem;* *tio.* De Permutatione aliarum re-  
rum Ecclesiasticarum redibit sermo,  
ubi de Contractibus: hoc loco agen-  
dum de Permutatione Beneficiorum,  
cui nomen hoc proprie non con-  
venit, quia traditio Beneficiorum  
non potest fieri ab ipsis permutanti-  
bus; sed ab iis, ad quos pertinet  
admissio Resignationis & Collatio  
Beneficii. Nam si Permutatio hæc  
consideretur intuitu permutantium,  
intelligitur hoc nomine Resignatio  
conditionalis, ut loco unius Bene-  
ficii obtineatur aliud: ex parte au-  
tem admittentis, est quædam trans-  
latio personarum de uno beneficio  
ad

---

44.) Varia de Jure optandi cumulat JOAN.  
PETRUS MONETA tract. de optione Ca-  
nonica. PASSERINUS ad Cap. fin. de  
Consuet. in 6.

*De acquir. vel amitt. Benef. 211*

ad aliud Superioris autoritate facta, ita ut Permutatio contineat simul acquisitionem & amissionem Beneficii. De hoc observanda sunt sequentia.

§. 130. I. Omnia Beneficia possunt permutari. Si quis habeat solummodo jus ad rem, proprie non permutat Beneficium, quod nondum habet in re: nihilominus potest permutare jus ad rem cum jure alterius. II. Permutatio debet esse inter duos, non triangularis vel quadrangularis 45.). III. Requiritur autoritas Superioris Ecclesiastici, sine qua Permutatio esset invalida; quia Clerici privati non possunt propria autoritate de suis Beneficiis disponere, neque aliena invadere: possent tamen prævie inter se de Permutatione tractare, & si beneficia ex causa permutationis resignant Superior Ecclesiasticus non posset ea conferre aliis, quam ipsis permutare, volentibus: alia enim collatio esset nulla 46.). Superior legitimus est

*Circa  
quam  
varia*

O 2 Epi.

45.) BoëTIUS Epo in Commentar. de Saturnino Permutationis Beneficialis etiam Triangularis jure n. 333. seqq.

46.) Clem. un. de rer. permut.

Episcopus, vel habens Jurisdictionem quasi Episcopalem, uti etiam Capitulum Sede vacante, nisi ageretur de Beneficio, quod pertinet ad liberam Collationem solius Episcopi; sicuti Episcopus non potest permittere Permutationem Beneficiorum, quæ Papæ sunt reservata, vel quæ sunt Commendata, cum etiam ista sint affecta.

*Sunt observanda.* §. 131. IV. Insuper requiritur justa causa, quæ saltem indirecte & consecutive respiciat utilitatem Ecclesiæ, Talis est insalubritas aëris, debilitas valetudinis, aversio populi, & universim si personæ, quæ uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere 47.): nam Permutatio est contra jus commune 48.): Episcopus autem cognita & probata causa potest dispensare 49.). V. Accedere etiam debet consensus eorum, ad quos Collatio, Præsentatio, vel Electio pertinet: in horum enim præjudicium nihil fieri debet. VI. Gratiæ expectativæ, Preces primariæ Im-

---

47.) C. 5. de rer. permut.

48.) C. 8. de Præbend.

49.) Cit. c. 5.

*De acquir, vel amitt. Benef. 213*

Imperatoris, non impediunt Beneficiorum Permutationem. Nihilominus Precista posset ex conjecturis opponere, quod permutatio facta sit in fraudem, cujus suspicionem tollit autoritas Superioris saltem tunc, quando non agitur de præjudicio tertii 50). VII. Abesse debet omnis Simoniaca pactio, qualis esset, si peteretur compensatio pinguiorum reddituum 51.). Potest tamen ex justa causa uni imponi pensio. VIII. Si Permutatio utrinque non haberet effectum, poterit uterque ad suum Beneficium redire sine nova collatione 52.). Si culpa unius intercedat, deceptus debet restitui 53.).

§. 132. Dictum hucusque de Acquirendis, nunc pauca dicenda restant de Amittendis Beneficiis. Fit

*Amittitur Beneficium*

O 3 hæc

- 
- 50.) GARCIA de Benefic. p. II. c. 4. n. 101.  
51.) P. PICHLER ad Tit. de Rer. permut. n. 8. seq. Non obstat C. 6. eod.  
52.) FLAM. PARIS. de Resign. benef. lib. I. q. 14.  
53.) C. 8. de Rer. permut. Materiam de Permutatione Beneficiorum plene tractant Canonistæ ad lib. III. Decretal. tit. 19. de Rer. permut. PASSERINUS & GAM.

per Renuntiationem,

hæc extra casum delicti, regulariter per Renuntiationem aut Resignationem. Per istam hoc loco intelligitur libera ac spontanea dimissio Beneficii obtenti, facta ex justa causa & coram legitimo Superiore eam acceptante. Per eam amittitur omne jus in Beneficio competens, proprietas, titulus & possessio. Vacare igitur censetur Beneficium resignatum, & quidem vacare in Curia, si in manus Pontificis resignatur. Est vel *Tacita*, ex dispositione Juris, voluntatem renuntiandi ex certo actu præsumentis, e. g. si Beneficiatus in minoribus Ordinibus contrahat matrimonium, etiam invalidum: si fiat miles sæcularis: si consequatur possessionem secundi Beneficii incompatibilis: si consentiat, ut Beneficium suum conferatur alteri. Vel *Expressa*, quæ iterum vel est *pura* sine ulla conditione aut modo: vel *Conditionalis*,  
si

---

GAMMARUS ad eundem in 6. BELLAMERA & alii inserti Tract. Tract. tom. 15. part. 1. AZOR Instit. Moral. p. 2. lib. 7. c. 29. 30. TUSCHUS Practic. Concl. Vol. 6. Lit. P. concl. 303. & seqq. LESSIUS de J. & J. lib. 2. c. 34. dub. 36. & c. 35. dub. 17.

*De acquir. vel amitt. Benef. 215*

si fiat in favorem certæ personæ, aut ex causa Permutationis : si reserventur fructus, pensio, Regressus, Accessus aut Ingressus.

§. 133. Renuntiatio debet esse I. *Debito libera*, id est, pura absque aliqua modo pactione, conditione & modo, *pro factam*: veniente ab ipso Resignante: quamvis de voluntate Papæ possit ejusmodi conditio aut modus adijci, ita ut habeatur jus a voluntate Papæ, non a Resignante. II. *Spontanea*, excludens vim, dolum, metum: gravi metu extorta, saltem pro foro externo, nullius est roboris. Potest quis tamen cogi a legitimo Superiore ad dimittendum Beneficium, pro tollendo scandalo, vel si quis privari eo posset; aut sit inutilis Ecclesiæ. III. *Beneficii obtenti*; privatio enim supponit habitum. IV. Requiritur justa causa, qualis respectu Episcoporum est *Conscientia criminis, Debilitas Corporis, Defectus scientia, malitia plebis, grave scandalum, Irregularitasque personæ: sed in his omnibus est observanda cautela* 54.). In-

O 4

gressus

---

54.) C. 10. de Renuntiat. ubi INNOCENTIUS III. indicat cautelas in his causis observandas.



gressus in Religiosum Ordinem non est sufficiens causa relinquendi Episcopatum 55.); bene autem est causa relinquendi Beneficium aliud inferius, etiam invito Episcopo, qui prudenter non potest consensum negare 56.): sufficiunt quoque aliae causae minores, senium, valetudo, vitium corporis, censura, crimen &c. 57.). V. Debet fieri in manibus *legitimi Superioris*. Talis est respectu Resignationis *purae* & simplicis ille, qui habet potestatem instituendi simul & destituendi, hoc est, deponendi institutum: respectu Resignationis *conditionalis* est Summus Pontifex

---

55.) C. 18. De Regularib. Synodus Provincialis INGELHEIMENSIS Anno 972. non indulgit, ut S. UDALRICUS relicto Episcopatu Augustano, ingrederetur Ordinem S. Benedicti, ut narratur in ejus Vita C. 10. in Actis Sanctorum tom. 2. Julii fol. 116.

56.) C. un. XIX. q. 1. c. 2. ib. q. 2. & cit. c. 18. de qua re legi meretur proluxa Epistola BENEDICTI XIV. ad Cardinal. Quirinum. Tom. 2. Const. 25.

57.) Vid. Bulla PII V. 58. *Quanta Ecclesia.*

*De adquir. vel amitt. Benef. 217*

tifex 58.), excepta Resignatione per  
viam Permutationis, & sub onere  
Pensionis moderatæ ex legitima cau-  
sa per Episcopum imponendæ: nam  
omnes pactiones circa Beneficia ge-  
neraliter prohibentur 59.); & Re-  
signationes in favorem habent spe-  
ciem hæreditariæ successione, quam  
Canones detestantur, præsertim quan-  
do reservatur Regressus, Accessus,  
vel Ingressus 60.): Potest tamen  
O 5 pure

---

58.) C. 16. VIII. q. 1. C. 1. de concess. præb.  
non vacant. Conc. TRID. Sess. 25. c. 7.  
de Ref. Pius V. Const. 134.

59.) C. 4. 6. & fin. de Pactis.

60.) *Regressus* est, quando Papa concedit,  
ut si Resignatarius præmoriatur, Bene-  
ficio resignatum revertatur ad resig-  
nantem. *Accessus*, quando ille cui con-  
ferendum esset Beneficium, propter  
ætatis immaturitatem capax non est,  
& ideo Papa confert alteri, donec ille  
efficiatur habilis perveniendo ad legiti-  
mam ætatem, qua adveniente, poterit  
propria autoritate accedere ad illud be-  
neficium. *Ingressus* est, si Papa contu-  
lerit mihi Beneficium, ego autem, an-  
tequam capiam possessionem, illud re-  
signem, concedente Papa, ut, si Resig-  
natarius moriatur, ego ingrediar meum  
Beneficium, quod nunc resigno.

pure resignans, Episcopo certam personam commendare. Si quis habeat solum jus ad rem per Præsentationem, Electionem &c. non opus habet consensu Superioris; uti nec ad dimittendum Beneficium litigiosum.

*Regulariter quilibet renuntiare suo Beneficio potest:*      §. 134. Regulariter cuique liberum est proprio Beneficio renuntiare. Ex stylo tamen Curia Romanæ non admittitur Renuntiatio Beneficii Parochialis, vel alterius personalem residentiam requirentis, nisi quis illud saltem possederit per quinque annos: nec illius, ad cuius titulum quis est ordinatus, nisi aliunde habeat, unde commode possit vivere. Non valet Renuntiatio infirmi infra viginti dies decedentis (61.). Clericus impubes sine autoritate Tutoris, & Decreto Superioris non renuntiat (62.); bene autem Minor viginti quinque annis, cui, si læsum se queratur, an detur Restitutio, mul-

---

61.) Juxta Reg. Cancell. de infirmis resignantibus.

62.) Colligitur ex c. 2. de ætat. qualit. & ord. præfic. c. fin. de Judic. in 6.

*De adquir. vel amitt. Benef.* 219  
multi disputant 63.) : non videtur  
ea deneganda, quando Beneficium  
nondum est alteri collatum; imo  
etiam si sit collatum, quando Minor  
læsus fuit ex facto illius, cui colla-  
tum est. Renuntiatio Novitii, Pro-  
fessione non secuta, non sortitur  
effectum 64.). Etiam Summus Pon-  
tifex potest renuntiare Papatui 65.).  
Beneficia illius, qui a Pontifice vel  
per Confirmationem, vel alia ratio-  
ne promovetur ad Episcopatum, esse  
reservata eidem Pontifici, constat  
ex Concordatis Germaniæ: an vero  
electus in Episcopum, ante obten-  
tam Confirmationem renuntiare Be-  
nificiis suis possit, quærunt Docto-  
res. Scriptores Romani fieri id ne-  
quaquam posse, ex Regula Cancel-  
lariæ

---

63.) Vid. FLAM. PARIS. de Resign. Be-  
nef. lib. 3. q. 7. GARCIA de Benef. p. II.  
c. 3. n. 59. seqq.

64.) Conc. TRID. Sess. 25. c. 16. de Re-  
gular.

65.) C. I. de Renunt. in 6. Glossa in hanc  
Decretalem, uti & AUGUSTINUS  
TRIUMPHUS de Summa Potest. Eccles.  
quæst. 4. afferunt exempla quatuor Pon-  
tificum renuntiantium, scilicet CLE-  
MEN-

lariæ de Beneficiis vacaturis per promotionem, etiam pro Germania pronuntiant: sed contraria est praxis plerorumque Capitulorum, quæ credunt, Beneficia Germaniæ non contineri sub Regulis Cancellariæ: in Concordatis autem id non inveniri decisum 66.).

*Deberet etiam* §. 135. Resignatio Beneficiorum 67.) publicari debet in Germania intra

---

MENTIS, CYRIACI, MARCELLINI & COELESTINI: de solo hoc ultimo constat, in quo etsi esset sanctitas, deerat scientia & industria, ut loquitur ALVARUS PELAGIUS de Planctu Eccles. lib. 2. art. 10. Possit addi JOANNES XXIII. in Concilio Constantiensi.

66.) Decisio Rotæ, quam adducit BRANDEN super Concord. fol. 51. seq. CHOKIER ad Reg. 24. alias 25. Cancell. n. 19. seqq. NICOLARTS Prax. Benef. ex Concord. tit. I. dub. I. §. 23. agit de Præpositura, quæ utpote prima Dignitas post Pontificalem, expresse est reservata: unde ab ea non potest duci argumentum ad alia Beneficia.

67.) Juxta Reg. Cancell. de publicandis Resignationibus, & Constit. 85. GREGORII XIII.

Hanc materiam plenissime tractat FLAMINIUS PARISIUS duobus Tomis de Resig-

*De acquir. vel amitt. Benef. 221*

tra novem menses a die concessæ <sup>publica-</sup> gratiæ, si Resignatio sit facta in Cu- <sup>ri Resig-</sup> ria Romana: si vero coram Ordina- <sup>natio.</sup> riis, publicanda est intra tres menses a die collati Beneficii; in Ecclesia Cathedrali, vel etiam simul in Parochiali, si Beneficium intra limites Parochiæ situm sit. In quibusdam Dioccesibus ejusmodi Publicationes solemnes ex consuetudine omittuntur: Episcopi autem est providere, ne executio nimium differatur. Potest etiam Publicatio urgeri ab eo, cujus interest, si nimias moras in fraudem neçti videat.



TITU-

---

Resignatione Beneficiorum. & omnes  
scribentes ad Tit. Decretal. de Renun-  
tiatione.

TITULUS X.  
DE PROVISIONE PONTI-  
FICIA.

Confer. Lib. 1. Decretal. tit. 3. Sext.  
tit. 3. Clement. tit. 2.

## §. 136.

*Provisio Pontificia per Expectativas & Reservations*  
**P**ROVISIO circa Beneficia fit vel per *Summum Pontificem*, vel per *Ordinarium Collatorem inferiorem*. Multa mentio apud Canonistas est de *Mandatis Apostolicis*, quibus Romanus Pontifex de Beneficiis provideri mandat, unde vocantur *Mandata de Providendo*. Si hæc in favorem alicujus determinati dentur ad Beneficium *vacaturum*, dicuntur *Expectativæ*: quando autem Papa suæ dispositioni Beneficia reservat, & prohibet Collatores ordinarios ad eorum Collationem adveniente vacatione procedere, vocantur *Reservations*. In Collectionibus SS. Canonum de ejusmodi Mandatis nihil reperitur ante tempora Alexandri III. 68.). Morosis Collatoribus da-

68.) Notat hoc FRANC. FLORENS ad lib. III. Decretal. Tit. V. tom. 2. fol. 307. Formulam eorum temporum reperimus in

dabantur *Monitoria*, dein *Præceptorie*, demum *Executorie* 69. ). Dabantur hæc Mandata pro pauperibus, qui Beneficio carebant, & ideo dicebantur data *in forma pauperum*, *in forma communi*, vel *in forma cum secundum Apostolum* 70. ).

§. 137. Si formulam scribendi respiciamus, aliqua Pontificia Provisio vocatur *in forma Dignum* 71. ), qua Pontifex concedit Beneficium supplicanti, si post diligentem examinationem Ordinarius idoneum repererit.

Hæc

---

in Epistola 43. ALEXANDRI III. adjecta Epistolis PETRI Cellensis, ubi commendatur Abbati & Capitulo S. Remigii quidam Clericus his verbis: *Caritati vestre preces affectuosas porrigimus &c.* Ibid. Epist. 7. *Commendamus rogantes, & rogando mandantes &c.*

69. ) C. 30. 37. 39. de Rescript.

70. ) Talem adhibet INNOCENTIUS III. C. 16. de Præbend. De hac forma videri potest REBUFFUS Prax. Benefic. part. 1. tit. de Rescript. *in forma comm.*

71. ) Nomine sumpto a primis verbis Rescripti: *Dignum arbitramur, & congruum, ut illis se reddat Sedes Apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur &c.*



Hæc forma vel est *Antiqua*, qua usus est Pontifex circa Beneficia sibi aliunde non reservata : vel *Novissima*, qua expediuntur Provisiones de Beneficiis reservatis Sedi Apostolicæ ; & præstituuntur Executori triginta dies, intra quos Provisionem facere tenetur 72. ), *Visis* Literis Apostolicis, & *Visa* informatione de verificatione precum &c. 73. ). Alia Provisio dicitur in forma *Gratiosa*, qua Pontifex de capacitate Oratoris sat instructus ab-

---

72.) Vid. Constitutio PII V. apud FLAMIN. PARISIUM de Resign. Benefic. lib. VIII. q. 7. n. 197. De Executione harum Literarum vid. THOMAS DE ROSA de Executor. Liter. Apost. fol. 451.

73.) De *Visa* Ordinarii plura habet FEVRET de Abusu lib. III. c. 4. Putant aliqui cum VAN ESPEN p. 2. tit. 24. c. 1. n. 2. tali Rescripto non providere Papam de Beneficio, sed potius mandare, ut Ordinarius provideat, unde dici posse *Mandatum de providendo*. Alii sentiunt, vere providere Pontificem; sed conditionate, si Ordinarius eum idoneum repererit : hinc quando Episcopus instituto Examine expedierit *Visa*, collatum supplicanti censetur Beneficium

absolute ipsi providet de Beneficio, sine ulla commissione super Examine per Ordinarium faciendo 74. ).

§. 138. Exspectativæ & Reservaciones primum erant *Generales* & *Speciales* circa determinatum aliquod Beneficium: de-terminatum etiam factæ sunt *Generales* de *Generales* toto aliquo genere Beneficiorum. Sic CLEMENS III. reservavit sibi *Collationem Beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium*, allegans antiquam consuetudinem 75.); eandem reservationem renovavit BONIFACIUS VIII.

P &

---

cium a die Mandati Romæ expediti. Verius dici potest, Ordinarium conferre Beneficium Autoritate Apostolica, juxta tenorem Literarum Pontificiarum: *Ecclesiam eidem autoritate nostra conferas & assignes, inducens eundem in corporalem possessionem &c.*

74.) Hæ Literæ inscribuntur ipsi supplicanti hac forma: *Vitæ & Morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & Virtutum merita nos inducunt &c. &c.* Si Orator fit Doctor aut Licentiatus in altiori scientia, tunc scribitur: *Literarum scientia, vitæ & morum honestas &c.* Si Regularis; *Religionis Zelus, vitæ merita &c.* Si Nobilis; *Nobilitas generis &c.*

75.) C. 2. de Præbend. in 6.

*De Jure Rer. Eccles. Pars poster.*

& CLEMENS V. 76.): ampliaverunt  
JOANNES XXII. & BENEDICTUS XII.  
77.).

*Unde varia Regula Cancellaria.* §. 139. Exinde ortæ sunt variæ Regula Cancellariæ, ubi de Reservationibus disponitur. *Prima* innovat Reservationes Constitutionis *Ad Regimen*, & *Execrabilis*. *Secunda* reservat generaliter omnes Ecclesias Episcopales, nec non Monasteria Virorum, valorem annum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia: item Beneficia omnia post obitum Collatorum vacantia. *Tertia* extendit reservationem Beneficiorum per affectuionem pacificam vacaturorum. *Quarta* reservat Dignitates majores post Pontificales in Cathedralibus, & Principales in Collegiatis Ecclesiis: item Beneficia Familiarium Papæ & Cardina-

---

76.) Extrav. 1. & 3. inter Commun. de Præbend.

77.) Extrav. *Execrabilis*, 4. & *ad Regimen*, 13. ibid. Querelas Anglorum de his Reservationibus, & Responsum Clementis VI. legere est apud ODO-  
RIC. RAYNALD. ad ann. 1343. n. 90.  
& ann. 1344. n. 55. seqq.

*De Provisione Pontif.* 227

dinalium. *Quinta, Sexta & Septima*  
Beneficia variorum Curialium. *Octava*  
Canonicatus & Præbendas in Ec-  
clesiis S. Joannis Lateranensis, Prin-  
cipis Apostolorum, & B. Mariæ Ma-  
joris de Urbe. *Nona*, Beneficia octo  
Mensium, seu sex Mensium intuitu  
Episcoporum in sua Diœcesi residen-  
tium 78.). Cum autem inter alia  
Jura Pontificis circa Beneficia nume-  
retur etiam Jus præventionis; & hac  
occasione possent multæ fraudes ob-  
reperere, ut pro Beneficiis supplice-  
tur Romæ jam ante obitum Bene-  
ficiati, quo artificio fere semper ef-  
ficeretur, ut Romana Curia præ-

P 2                      veniat

---

78.) Numeratæ sunt hæ Regulæ juxta  
exemplar editum sub CLEMENTE XII.  
Anno 1730. Cum autem Reservaciones  
in iis contentæ non tangerent Germanos,  
nisi quatenus conformes sunt Concor-  
datis Germaniæ; ideo a longiori Com-  
mentario abstinemus. Videri possunt  
QUINTILIAN. MANDOSIUS, & JOAN-  
NES A CHOKIER Comment. in Regul.  
Cancell. Apost. HIER. GONZALEZ ad  
Regul. octav. Cancell. VAN ESPEN  
Jur. Eccl. part. 2. tit. 23. c. 4. seqq. LEU-  
REN. Fori Benefic. part. 2. sect. 3. c. 1.  
§. 4. seqq.

veniat Episcopum in conferendo Beneficio: hinc provide statuitur Regula trigesima, quæ inscribitur *de verisimili notitia*, statuiturque, omnes gratias de Beneficiis per obitum vacantibus factas, nullius roboris esse, nisi post obitum, & ante Datam gratiarum hujusmodi tantum tempus effluerit, quod interim vacationes ipsæ de locis, in quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam Papæ verisimiliter potuerint pervenire.

*Contra  
Reser-  
vationes  
Jæpius  
actum:*

§. 140. Tempore magni Schismatis ad finem Sæculi XIV. & initium Sæculi XV. auctæ sunt hæ Reservationes, cum singuli qui se pro Pontifice gerebant, fautores suos vellent gratiis cumulare. Actum est contra eas in Concilio CONSTANTIENSI, sed nihil definitum 79.). Acrius infite-

---

79.) Tempore hujus Concilii de Reservationibus scripserunt NICOLAUS DE CLEMANGIIS tract. de Ruina Ecclesiæ c. 5. seqq. PETRUS DE ALLIACO Monita de necessit. Reform. Eccles. c. 3. 6. 7. 9. 10. item de Regim. Eccles. ZABELLA, GERSON de Jurib. Eccles.

De Provisione Pontif. 229

stiterunt Patres Concilii BASILEENSIS  
80.) qui abrogaverunt omnes Re-  
servationes, *Reservationibus in Corpore  
Juris expresse clausis 81.)*, & *his, quas  
in terris Romana Ecclesia ratione directi  
seu utilis domini mediate vel immedia-  
te subjectis fieri contigerit, duntaxat ex-  
ceptis. Quam Constitutionem Galli  
ambabus ulnis amplexi sunt 82.)*.

§. 141. Germani per Concordata *Mode-  
inter NICOLAUM V. & FRIDERICUM ratio  
Imp. inita, receperunt inprimis Re- adhibi-  
servationes Juris scripti, & conten- ta in  
tas in Extravagantibus Execrabilis, Concor-  
& Ad Regimen, ita modificatis, ut datis  
reserventur omnes Dignitates & Be- Germa-  
neficia vacantia apud Sedem Apo- niæ.  
stolicam 83.)*: item vacantia per o-  
bitum Cardinalium aut Officialium

P 3

ejus-

---

80.) Sess. 23. c. 6.

81.) Extravagantes *Execrabilis & ad Re-  
gimen* censentur esse extra Corpus Juris.

82.) Modificationem aliquam attulerunt  
Concordata Galliae inter LEONEM X.  
& FRANCISCUM I. inita Anno 1516.

83.) Circa hæc Beneficia locum habet  
moderatio C. 3. de Præbend. in 6. *ut ii,  
ad quos eorundem Beneficiorum & Digni-  
tatum spectat collatio, demum post mensura  
a die,*

eiusdem Sedis, nec non verorum  
 Commensalium Papæ 84.) : Benefi-  
 cia etiam eorum, qui Autoritate  
 Pontificia promoventur ad Regimen,  
 quo obtento Beneficia priora va-  
 cant: item qui eadem Autoritate  
 deponuntur, privantur, transferun-  
 tur, vel quarum Electio cassatur,  
 Postulatio repellitur, Renuntiatio  
 admittitur, seu Electio intra tem-  
 pus Constitutionis NICOLAI III. 85.)  
 Sedi Apostolicæ præsentata non fuit,  
 Insuper reservantur majores Digni-  
 tates post Pontificales in Cathedrali-  
 bus, & Principales in Collegiatis  
 Ecclesiis: item Beneficia alternis  
 Mensibus vacantia; de his tamen,  
 si

---

*a die, quo Dignitates seu Beneficia ipsa  
 vacaverint, numerandum, a conferre va-  
 leant. Declaratio autem hujus Reser-  
 vationis habetur c. 34. ibid.*

- 84.) Quinam sint veri Commensales Pon-  
 tificis ad hunc effectum, recensuit PAU-  
 LUS III. Const. 3. anno 1534. subjun-  
 cta declaratione anno 1543. item JU-  
 LIUS III. Const. 21. ann. 1554. add.  
 FLAM. PARIUS de Resignat. Bene-  
 fic. lib. 2. q. 16. n. 36. seqq.
- 85.) C. Cupientes 6. de Elect. in 6.

*De Provisione Pontif.* 231

si intra tres Menses a die notæ vacationis in loco Beneficii, non apparuerit, quod alicui de illo Apostolica Autoritate provisum fuerit, Ordinarius Collator disponere potest. Promittit autem Pontifex, quod per quamcunque aliam Reservationem, Gratiam expectativam, aut *quamvis aliam dispositionem* 86.) non sit impediturus, quo minus de ceteris Dignitatibus & Beneficiis libere disponatur per illos, ad quos eorum Collatio, Provisio, Præsentatio, Electio seu quævis alia dispositio pertinet.

§. 142. Circa hæc tamen variis posterioribus Indultis, vel Transactis, aut consuetudine in favorem quarundam Ecclesiarum multa introducta fuerunt e. c. ut Præpositura, quæ in his Regionibus major censetur Dignitas post Pontificalem, pluribus

*Quibus per posteriora Indulta frequenter derogatum.*

P 4

---

86.) His verbis videtur excludi Jus Præventionis, quod tamen circa Beneficia, de quibus Pontifex intra tres Menses non providit, vigere in Germania docet NICOLARTS Prax. Benefic. fol. 155. CHOKIER ad Regul. Cancell. fol. 117. n. 5.



ribus Capitularium suffragiis conferatur: ut Pontificia Collatio alternativorum Mensium fere ad solos Canonicatus restringatur, vel etiam quibusdam Episcopis, imo & Principibus Laicis 87.) competat nominatio in iisdem Mensibus: ut in Collatione Ecclesiarum Parochialium se non immisceat Sedes Apostolica, etiamsi illæ nec ad Præsentationem Patronorum Laicorum, nec per Concursum conferantur: ut Dignitates & Officia, quæ simul cum Canonicatu vacant in Mensibus Papalibus, passim per suffragia Capitularium concedantur, Pontifex autem solum provideat de Canonicatu 88.)

§. 143.

87.) In Bavaria Seren. Duces in Collegiatis Ecclesiis nominant ad principales Dignitates, & etiam in Mensibus Papalibus ad Canonicatus, ac quasdam Parochias.

88.) Quamvis vi Concordatorum possit Pontifex de ejusmodi Dignitate vel Officio simul cum Canonicatu disporre, ob plura tamen præjudicia, censent Capitula Germaniæ se habere jus quæsitum.

§. 143. Postquam de Reservatio-*Expec-*  
nibus Pontificiis dictum est, pauca *tative*  
notari oportet de *Exspectantiis* juxta *per Tri-*  
hodiernam Germaniæ praxin. Usum *denti-*  
& Abusum Gratiarum *Exspectativa-*  
rum, post multas Germanorum in-*tandem*  
stantias, penitus sustulit Concilium *sublatæ*  
TRIDENTINUM 89.), cujus Decreto *sunt.*  
etiam prohibitum videtur, ne assu-  
matur Canonicus supernumerarius  
ad vacaturam Præbendam 90.): sunt  
tamen aliquæ Ecclesiæ tam Colle-  
giatæ, quam Cathedrales, quarum  
reditus variis fatis adeo accisi sunt,  
ut solum Senioribus provideri de iis  
possit. De his non intelligitur De-  
cretum Tridentinum, uti nec de  
Coadjutoriis Episcoporum cum ju-  
re successionis, quæ nonnunquam  
in Germania concedi debent Auto-  
ritate Pontificia.

P 5

§. 144.

---

89.) Sess. 24. c. 19. de Reform.

90.) In quibusdam Ecclesiis, nominatim  
in Cathedrali Constantiensi viget ad-  
huc antiquus mos assumendi quosdam  
Canonicos *Exspectantes*. Extra legiti-  
mam talem consuetudinem, Canonicus  
ul.

*Exspectativa-  
rum specie-  
ciem habent  
Præmaria  
Preces  
Imperatoris:* §. 144. Una adhuc viget Exspecta-  
tivarum species per *Primas*, seu *Præ-  
marias Preces Imperatoris* 91.) qui  
postquam ad hanc Dignitatem legi-  
time est assumptus, habet jus no-  
minandi personas idoneas Collatori-  
bus ad Beneficia vacantia, vel va-  
catura in Ecclesiis Romano-Germa-  
nici Imperii intra mensem admitten-  
das. Has *Præmarias Preces* Decreto  
Tridentino non comprehendi cen-  
suit S. Congregatio *CARDINALIUM  
CONCILII TRIDENTINI* 92.), quia Im-  
perator speciali mentione dignus ibi  
non

ultra præstitutum numerum contra pro-  
hibitionem Concilii Tridentini assump-  
tus, non posset prætere Jus ad proxi-  
me vacaturam Præbendam.

91.) *Præmarias* putant dici, quia præfe-  
runtur cuivis Juri conferendi, præsen-  
tandi, vel nominandi aliorum: *Præ-  
maria*, quia sunt veluti prima Cæsaris  
electi petitio; vel ut non nemo sentit,  
quia *primis petentibus* conceduntur, jux-  
ta illud, quod Conradus Abbas Ursper-  
gensis in Chronico de Ottone IV. dicit:  
*fuerat consuetudo Principum, ut hilariter  
& prompte beneficia seu Ecclesias confer-  
rent primis petentibus &c.*

92.) Vid. JOANN. A CHOKIER Schol. in  
*Præmar. Prec. Imper. in procem.*

non nominatur, & quidem studiose ex communiore Patrum sententia, licet aliqui voluerint addi Primarias Preces.

§. 145. Orta est hoc sæculo disputatio, quo Jure hæc Preces Imperatori competant? Nolumus indagare in primam harum Precum originem: formula earum antiquior non occurrit, quam quæ ad Ecclesias data est a RUDOLPHO I. Imperatore ex antiqua & approbata, ac a Divis Imperatoribus & Regibus inclytæ recordationis nostris Antecessoribus usque ad nos producta consuetudine 93.). Qualiscunque fuerit illa consuetudo, certe DURANDUS, qui eodem tempore vixit, privilegium istud vidit Bullatum 94.): sequentibus autem sæculis

Quarum origo non omnibus certa est:

---

93.) Vid. NAUCLERUS Chronic. Vol. 2. Generat. 43. fol. 974.

94.) In speculo Juris lib. 4. partic. 3. de Præb. & Dignit. §. 2. n. 7. Not. quod Imperator habet Privilegium, quod ego vidi bullatum, quod in qualibet Ecclesia Alemanniæ possit facere unum recipi. Legi ejusdem Rudolphi Primarias Preces Dilecto Principi suo Abbati in Nideraltach

lis nec consuetudinem sufficere credebant Imperatores & Doctores sine Indulto Pontificio. Agnoverunt id etiam Protestantes in Germania, qui inter Gravamina Ecclesiastica anno 1645. 21. Novembris Osnabrugæ exhibita, conquerebantur, quod Imperator in Ecclesiis Protestantium pergat uti Precibus Primariis, originem suam a Papa deducentibus 95.). Postquam autem inter Articulos Pacis etiam Jus Primariarum Precum omnino excutere non poterant 96.), mox mentem & calamum

---

*tach* inscriptas, ubi ex antiqua & approbata consuetudine exhortatur & mandat, ut Abbas Sifrido de March Clerico, de Beneficio Ecclesiastico curet provide-  
re &c. Dat. Hagenaugie MCCLXXIV.  
III. Kal. Marcii.

95.) MEJERN Act. Pac. Westphal. tom. I. fol. 821. *vom Pabst herrührende Preces Primariæ noch immer vollen gebraucht werden.* Et hodie etiam lites ex occasione Primariarum Precum ortas, decidunt Protestantes ex Jure Pontificio, ut patet ex STRUVII Introduct. ad Praxin Juris Canon. in Foris Protestant. part. 2. cap. 46.

96.) Instrum. Pacis Cæsareo-Suecic. Art. V. §. 18. *ubi sacra Cæsarea Majestas jus pri-*

lamum mutarunt, & ex variis fontibus Jus istud Imperatoris derivarunt 97.), ne jugi Papalis, ut loquuntur, reliquias in suis Ecclesiis tolerare viderentur. Imo etiam præter Imperatorem variis aliis Jus simile tribuunt, scilicet, Vicariis Imperii, Imperatrici, Reginis &c. quæ ratione jura diversissima inter se, vel etiam facta cum jure confundunt.

§. 146.

---

*primariarum precum exercuit, exercent etiam in posterum, dummodo decedente Augustana Confessione addictio, in ejus Religionis Episcopatibus Augustana Confessione addictus, ad normam statutorum & observantia idoneus, precibus fruatur. In mixtis vero ex utraque religione seu Episcopatibus seu aliis locis immediatis, precibus primariis presentatus non gaudet, nisi beneficium vacans religionis confors possederit. Item §. 26. In quibuscunque etiam foundationibus mediatis, anno 1624. die prima Januarii, sacra Cæsarea Majestas primarias preces exercuit, exercent eas in posterum, ad modum circa bona immediata superius explicatum.*

97.) Singulares tractatus de Primariis Precibus ediderunt Autores Protestantici **CORTÆUS, FRITSCHIUS, GRIBNERUS, MEYERUS, SCHILTERUS, SCHROETERUS, & Anonymus in Vindiciis**

*Ufus ta-* §. 146. Qualiscunque demum, sit  
*men bo-* origo, hodiernum tamen usum Pre-  
*diernus* cum Primariarum ab Indulto Ponti-  
*depen-* ficio dependere judicant Catholici  
*det ab* Doctores passim 98.). Aliqui 99.)  
*Indulto* nihilominus credunt, posse Impera-  
*Pontifi-* torem ante Confirmationem Ponti-  
*cio:* ficiam suæ Electionis, & ante ob-  
 tentum Indultum, has Preces con-  
 cedere ex indubia, certaue præ-  
 sumptione de mente & voluntate  
 Pontificis, cujus indultum, licet  
 poste-

---

dicis primariarum Precum Cæsareæ  
 Majestati competentium. Libris suis  
 hanc materiam præter innumeros alios  
 fusius inseruerunt VITRIARIUS, & in  
 Notis ad illum PFEFFINGERUS Tom.  
 3. fol. 83. seqq. SCHILTERUS de Libert.  
 Eccles. Germ. lib. VI. c. 5. §. II. BÖH-  
 MERUS Jur. Eccl. Protest. lib. III. tit. 5.  
 §. 99. seqq. Item Consultat. tom. III.  
 part. I. Responf. 19.  
 98.) FUSE hanc materiam pertractat P.  
 IGNATIUS SCHWARZ Colleg. Histor.  
 part. VIII. quæst. 6.  
 99.) WAGNERECK in Comment. Exe-  
 get. ad C. 19. de Præbend. fol. 488. ENGEL  
 ad eund. tit. §. 7. in fin. PIRHING ibid.  
 n. 371. Hos sequitur LEURENIUS For.  
 Benef. p. 2. sect. 3. c. 1. §. 10. q. 604.  
 igna-

*De Provisione Pontif.* 239

posterius datum, merito retrotra-  
hetur ad ipsam Electionis diem. Po-  
terat hæc doctrina tolerari ea ætate,  
qua neque Imperatores petere, nec  
Pontifices concedere Indultum ter-  
giversabantur. Sed postquam jam  
iterato Pontificium Indultum peti-  
tum non fuit 100.), nec horum  
temporum Imperatores in formulis  
suarum Precum, ullam mentionem  
de gratia Pontificis faciunt; omni-  
no tenendum est, has Primarias Pre-  
ces ante Indultum Pontificium nec  
concedi, nec executioni dari posse;  
aut si dentur, non habere eas aliam  
vim, quam simplicis promissionis de  
Precista post obtentum Indultum  
nominando.

§. 147.

---

ignarus forte eorum, quæ jam suo tem-  
pore acta fuerant inter Pontificem A-  
LEXANDRUM VII. & LEOPOLDUM I.  
Imperatorem.

100.) Vid. CONRADUS OLIGENIUS de  
Primar. Precib. Imper. n. 70. seqq. Au-  
tor hujus Dissertationis passim crede-  
batur JUSTUS FONTANINUS: sed verum  
Autorem esse PETRUM MARCELLI-  
NUM CORRADINI, postea Cardinalem,  
affir-



*Pro quo congrue imple-* S. 147. Solet igitur electus Rex Romanorum, in Imperatorem promovendus, mox post Electionem suam, per Legatum Obedientiæ, ut vocant, solenniore pompa Romam missum, reverentiam & obedientiam erga Pontificem & Romanam Ecclesiam exhibere, approbationem Electionis suæ, nec non gratias & favores consuetos petere. Inter hos Pontifex specialiter concedit Indultum Primariarum Precum, per quas Imperator in singulis Ecclesiis nominat aliquem, cui conferatur Beneficium, ita tamen, ut singulæ collationes & singulæ Ecclesiæ ex hoc ultra, quam in uno Beneficio non graventur, ac ipsi Collatores saltem quatuor Beneficia Ecclesiastica conferre habeant. Hæ Preces se extendunt ad Germaniæ Beneficia, Dignitates, Personatus, Administrationes & Officia, electiva vel collativa, etiam Papæ reservata, in quibusvis mensibus quacunque ratione vacantia:

---

affirmat Giornale de Letterati d'Italia tom. 7. fol. 486. Item Storia Letteraria d'Italia. Vol. 8. fol. 354.

*De Provisione Pontif.* 241

tia: non tamen ad Dignitates post Pontificalem majores in Cathedralibus, aut Principales in Collegiatis; nec ad Monocularia; nec ad Beneficia Juris Patronatus Laici; nec ad ea, quæ ex natura sua requirunt Professionem regularem; neque ad vacantia per resignationem in favorem 1.); neque ad Vicarias temporales, Beneficia Manualia, perpetuo incorporata, commendata &c. aut per longævam consuetudinem, vel privilegium exempta 2.). Conceduntur autem Personis idoneis, quæ scilicet habent qualitates per Sacros Canones & Statuta Ecclesiarum requisitas 3.).

Q. §. 148.

- 
- 1.) Hanc limitationem passim tradunt Doctores, quia talia Beneficia nunquam vacant, ut ait PARISIUS de Resignat. Benef. lib. X. q. 7. n. 22. Sed Aulam Cæsaream hæc ratio non movet, ut docet experientia, si Precista instet & urgeat admissionem.
  - 2.) Vid. P. SCHMALZGRUEBER Confil. tom. 1. Conf. 31.
  - 3.) Multi Doctores censent, recipiendum esse Precistam, etsi careat qualitatibus

*De Jure Rev. Eccles. Pars poster.*

*Consti-  
tuit Im-  
perator  
Execu-  
tores.*      §. 148. Constituit insuper Impe-  
rator aliquos Executores in Digni-  
tate Ecclesiastica constitutos, qui  
Autoritate Pontificia satagunt, ut  
Preces ad effectum redigantur, etiam-  
si interim Imperator jam esset mor-  
tuus; Ordinarii autem Collatores  
conferunt Beneficium vacans, ad  
quod Precista vi Precum Imperia-  
lium aspirat, declarando voluntatem  
suam intra mensem notæ vacationis  
4.). Imo in quibusdam Ecclesiis no-  
lunt recipere Precistam, nisi ante  
actua-

---

tibus secundum Statuta & Consuetudi-  
nes Ecclesiarum requisitis; testaturque  
WAGNERECK loc. cit. §. 3. fol. 494.  
Ecclesiam quandam *coactam* fuisse, ta-  
lem recipere a FERDINANDO II. nomi-  
natum: at hoc loco non loquimur  
de violenta coactione, sed de Jure.  
Imperator non vult plus sibi sumere er-  
ga Ecclesias Catholicas, quam erga  
Protestantes: in his autem per Pacis  
Westphalicæ Articulos adstringi se pas-  
sus est, ut ad *normam Statutorum &  
observantiæ idoneum* nominet. Art. V.  
§. 18.

4.) Si admitti non petat ad Beneficium,  
quod primo vacat; remanet ei jus ad  
aliud postea vacaturum.

*De Provisione Pontif. 243*

actualement vacationem Preces suas in-  
finuaverit 5.).

§. 149. Ad Provisionem Pontifi- *Provi-*  
ciam pertinet etiam Indultum, quod *det Pon-*  
Pontifex solet concedere Cardinali- *tifex per*  
bus Episcopis ad conferenda Bene- *Indultum*  
ficia reservata, exceptis iis, quæ *Cardi-*  
reservantur reservatione clausa in *nalibus*  
Corpore Juris. Sunt autem hujus- *Episco-*  
modi Indulta quandoque ampliora, *pis con-*  
quandoque vero strictiora: & ideo *cessum;*  
semper eorum tenor diligenter in-  
spiciendus est, uti & variæ Pontifi-  
cum Declarationes 6.).

Q 2

§. 150.

- 5.) In iis præcipue Ecclesiis, & in iis  
mensibus istud prætenditur, quando  
singuli Canonici per Turnum nominan-  
di jus habent: ille enim, quem Tur-  
nus contingit, post mortem unius mox  
alium sibi gratum nominat, & difficul-  
ter cedit Precistæ postea supervenienti.
- 6.) Vid. URBANI VIII. Constitutio 59.  
& 60. publicata 10. Septemb. 1626. ubi  
allegantur plures aliorum Pontificum  
Constitutiones de hac materia.
- ANASTASIUS GERMONIUS de Indultis.  
HIER. GONZALEZ ad Reg. 8. Cancell.  
Gloss. 24. n. 23. seqq.
- FLAM. PARIUS de Resignat. Benefic.  
lib. 7. q. 12. n. 23.

MELCH.

*Vel per  
Com-  
mendas,*

S. 150. Inter modos, quibus hodie Pontifex Beneficia concedit, numeratur *Commenda*, per quam juxta nomen suum 7.) proprie intelligitur custodia & administratio Ecclesiæ vacantis, donec alicui concedatur ejusdem titulus 8.). Ex variis tamen rationibus discessum jam pridem fuit ab hac significatione. Unde dividitur *Commenda* in *Temporalem*, si ad certum tempus; & in *Perpetuam*, si ad dies vitæ Ecclesiæ vel Monasterium alicui committitur. *Commenda* temporalis in utilitatem Ecclesiæ, fit a Prælati Ecclesiasticis: & quidem olim poterat Episcopus commendare Ecclesiam Parochialem ad sex menses 9.): hodie autem vacante Ecclesia Parochiali constituitur Vicarius 10.). In aliis Beneficiis

- 
- MELCH. LOTTERIUS de Re Benefic.  
lib. 2. q. 21. n. 103. seqq. Card. DE LU-  
CA de Beneficiis Discurs. 1. 2. 3. seqq.  
7.) *Commendare nihil aliud est, quam de-  
ponere.* l. 186. ff. de V. S.  
8.) C. 16. 17. dist. 61. C. 5. & 6. XXI. q. 1.  
9.) C. nemo. 15. de Elect. in 6.  
10.) Ad normam Concilii TRIDENT;  
sess. 24. c. 18. de Reform,

*De Provisione Pontif.* 245

eiis non curatis plus licere Episcopo credendum est, ita tamen ut Commenda solum fiat in utilitatem Ecclesie ex gravi causa, qua cessante revocaretur etiam Commenda, & Commendatarius non habuisset liberam dispositionem, nec potuisset fructus convertere in usus proprios. Hodiernas autem Commendas perpetuas in utilitatem Commendatarii dat solus Pontifex cum potestate libere disponendi de fructibus, sicut competit vero Beneficiato, qui habet titulum II.)

§. 151. Frequenter olim Abbatia<sup>Quarum</sup> commendabantur Episcopis, vel pro<sup>abusus</sup> restituendis Monasteriis jam fere collapsis; vel pro meliori Episcoporum sustentatione. Demum abusus invaluit Abbatias commendandi etiam

Q<sub>3</sub>

Lai-

---

II.) *Hoc commendarum genus Majores nostri ignorabant, ait THOMAS CAMPEGIUS tract. de Commendis Benefic. n. 5. Diversa Commendarum genera ex Epistolis S. GREGORII M. recenset THOMASSINUS vet. & nov. Eccles. Discipl. p. 2. lib. 3. c. 10.*

Laicis & Militibus 12.). Hoc abusu sublato, permanserunt tamen Commendæ Personis Ecclesiasticis factæ 13.), ex ea etiam causa, ut haberetur prætextus possidendi plura Beneficia 4.). CLEMENS V. Pontifex ad initium Sæculi XIV. minus favo-

12.) Malum hoc etiam invasisse Germaniam, colligimus ex Concil. MOGUNT. Anno 888. celebrato sub Arnulpho Rege Germaniæ c. 25. ubi aliquid ordinatur *de Monasteriis Clericorum, Monachorum, atque Puellarum, quæ Clericis, sive Laicis beneficii jure donata sunt* &c. OTTO FRISING. Chron. lib. 6. c. 18. ARNOLPHUM Bavariæ Ducem arguit, quod possessiones Ecclesiarum & Monasteriorum militibus distribuerit. Sed Autor Justæ Defensionis Arnolphi sect. V. eum quidem non omni culpa liberum pronuntiat, facti tamen invidiam extenuat.

13.) Lupus Ferrariens. Epist. 25. sic scribit: *fama versatur inter nos, Clericos Palatii, diversorum Cœnobiorum sibi Dominium optare atque pascere, quibus nulla sit alia cura, nisi ut suæ avaritiæ, oppressione servorum Dei, satisfaciant.*

14.) Quod aliquis possit unam Ecclesiam in Titulum, alteram commendatam tenere, concedit LEO IV. c. 3. XXI. q. 1. vid. supra Tit. VIII. de Benefic. §. 112.

favorabilem Ideam Commendarum nobis ingerit 15-); fatetur enim, se ex variis affectibus humanis, ad importunas precum instantias, nonnullis Ecclesiis ac Monasteria sub Commendæ nomine commisisse; ob plurima autem negotia nequivisse serio cogitare, an id fieri decuisset: demum periculosa infirmitate correptum, ad id aciem mentis suæ direxisse, & evidenter perspexisse, quod Ecclesiarum & Monasteriorum eorundem cura negligatur, bona & jura ipsorum dissipentur, ac subiectis personis & populis spiritualiter plurimum & temporaliter derogetur &c.: quare omnes & singulas provisiones hujusmodi revocavit, cassavit, annullavit.

§. 152. Vel effectum non habue-*Non sa-*  
runt hæc pia desideria, vel mox ite-*tis e-*  
rum usus Commendarum increbuit. *menda-*  
Certe PAULUS II. altero post Electio-*tus.*

Q4

nem

---

15.) Extrav. 2. de Præbend. inter Com-  
mun. Pari stylo in Commendarum in-  
commoda invehitur LEO X. Constit.  
VII. §. 9. Paraphrasin dictæ Extrava.  
ganti addit REBUFFUS Prax. Benefic.  
part. I. tit. de Commenda, §. 10. seqq.



nem die admonitus, ne id vitium  
 latius serpere fineret, respondisse di-  
 citur, Monasteria plus quam quin-  
 genta a Pontificatu CALLISTI III. (id  
 est, per annos non omnino decem)  
 in eam diem commendata Clericis,  
 nulla Regula devinctis 16.). Per-  
 gunt vigere hæ Commendæ passim  
 in aliis Regnis: in Germania autem  
 nostra, licet olim Episcopis plus per-  
 missum fuerit (supra Tit. VIII. de  
 Benefic. §. 113.), hodie, cum E-  
 lectiones per Concordata firmatæ  
 sint, rarior est Commendarum per-  
 petuarum usus, nisi Capitula con-  
 cordibus suffragiis postulent Episco-  
 pum vel Abbatem Commendatarium  
 17.): aut nisi Abbatia jam ab anti-  
 quo tempore sint incorporatæ cui-  
 dam Episcopatu.

§. 153.

16.) RENAT. CHOPPINUS de Jure Cœno-  
 bit. lib. 1. tit. 1 n. 14.

17.) Nostra ætate plura Capitula Cathe-  
 dralia & Metropolitana postularunt  
 Commendatarium FRANCISCUM LU-  
 DOVICUM ex Domo Palatina, Ordinis  
 Teutonici Magnum Magistrum, insigni  
 Ecclesiarum illarum emolumento. Et  
 Canonici Regulares in Berchdoltsgaden  
 per multos annos postulayerant Præpo-  
 situm Commendatarium ex Domo Ba-  
 varica.

§. 153. Commendatarius perpetuus habet tam obligationes, quam Jura, ac si haberet titulum: non potest alienare immobilia, nec mobilia pretiosa: confert Beneficia: gaudet prærogativis & honoribus Abbatis Titularis: curam gerit, ne Cultus Divinus, vel numerus Religiosorum diminuatur. Religiosi manent sub Jurisdictione suorum Superiorum Regularium, & in quolibet Monasterio commendato est Prior Claustralis, aut alius Superior Regularis pro disciplina interiore Monasterii 18.). Cessante Commenda non inducitur nova vacatio per obitum Commendatarii 19.); sed

Obligatio & Jus Commendatarii.

Q

Be-

- 
- 18.) Concilium TRIDENTINUM sess. 21. C. 8. & sess. 25. c. 20. de Reform. curam Monasteriorum commendatorum injungit Episcopis, & Visitationem præcipit, exceptis illis, quæ subsunt Abbatibus Ordinum suorum Capitibus. INNOCENTIUS X. Const. 62. Anno 1654. confirmat Privilegia Cisterciensium, ut Commendatarii nullam Jurisdictionem in Monachos exercent. Add. P. SCHMALZGRUEBER tom. I. Conf. 41.
- 19.) Hoc non esse verum in Francia, notat REBUFFUS Prax. Benefic. p. I. tit. I. de Commenda. n. 51.

Beneficium vacat semper ut prius, & quodammodo resurgit prima vacatio, adeo ut non sit attendendus mensis, in quo Commendatarius obierit 20.). Nihilominus Ecclesia commendata non dicitur omnino vacare, cum Commendatarius possessionem & administrationem habeat: & hinc, qui vult impetrare Beneficium, mentionem debet facere de Commenda; alias Provisio est subreptitia, quia Pontifex non censetur alicujus Juri derogare velle 21.).

TITU.

20.) **TAMBURIN.** de Jure Abbat. tom. 1. disp. 4. quæst. 6. n. 2.

21.) De Commendis consuli possunt **THOMASSINUS** p. 2. lib. 3. c. 10. seqq. **VAN ESPEN** Jur. Eccl. univ. p. 1. tit. 31. c. 7. **LEZANA** Oper. tom. 4. Consultat. 57. **FAGNANUS** in c. dudum & c. cum ad nostram. de Elect. & alibi sæpius. **BARBOS.** de Offic. & Pot. Episc. p. 3. alleg. 59.

**HIERON. GONZALEZ** ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 8. **MANDOSIUS** in Regul. Cancell. 30. q. 3. & Reg. 32. q. 7.

**GARCIA** de Benefic. part. 4. c. 4. **FLAM. PARIS.** de Resignat. benefic. lib. 2. q. 27. præter alios prioribus numeris allegatos.

TITULUS XI.  
DE ORDINARIIS ET IN-  
FERIORIBUS COLLATORI-  
BUS.

Confer. Lib. 3. Decretal. tit. 7. Sext.  
6. item Lib. 3. Decretal. tit. 38.  
Sext. 19. Clem. 12.

§. 154.

**H**UCUSQUE de Collatione Benefi- *Ad Col-*  
ciorum Pontificia. Nunc agen- *latio-*  
dum de Collatione Ordinaria. Hæc *nem Or-*  
olim, quando ipsa Beneficia a sacra *dinari-*  
Ordinatione plerumque sejuncta non *am stat*  
fuerunt, unice pertinebat ad Episco- *presum-*  
pum, eratque actus Ordinis Episco- *ptio pro*  
palis: hodie erectis Beneficiorum *Episco-*  
titulis, horumque Collatione sejun- *po:*  
cta ab ipsa Ordinatione, Collatio  
est actus Jurisdictionis, seu potius  
accidentalis potestatis, simul cum  
Jurisdictione ex speciali dispositione  
Canonum impressæ 22.), pertinet-  
que

---

22.) C. omnes Basilicæ. 10. XVI. q. 7.  
LOTTERIUS de Re Benefic. lib. II. q. 2.  
n. II.

que jure Ordinario ad Episcopum, etiam ante Consecrationem. Ex variis autem rationibus potest etiam competere aliis, qui tamen in dubio debent probare titulum, cum præsumptio stet pro Episcopo.

*Cujus* §. 155. Sicut olim Episcopus non  
*Autori-* ordinabat Clericos sine consilio Cle-  
*tas sem-* riorum suorum: ita videtur, Be-  
*per in-* neficia non esse conferenda sine con-  
*tercedit,* filio Capituli Cathedralis, quod to-  
*et si Col-* tum Clerum repræsentat, & Eccle-  
*latio* siæ Senatam constituit 23.); quod  
*spectet* præcipue locum habet in institutione  
*ad alios.* ad Præbendas Cathedrales. In hoc  
 tamen negotio plerumque plus agit  
 Capitulum, quam Episcopus, vel  
 saltem alternative jus suum exer-  
 cent: imo hodie passim Capitulum  
 habet jura sua separata a juribus E-  
 piscopi 24.): & consuetudinem eli-  
 gendi Canonicos irrequisito Episco-  
 po tolerat INNOCENTIUS III. 25.):  
 disci-

---

23.) Huic prætensioni favet ALEXAN-  
 DER III. in c. 4. de his quæ fiunt a Præl.  
 sine Conf. Capit.

24.) Notavimus in Tract. de Hierarchiâ  
 Eccl. §. 334.

25.) In c. 31. de Elect.

*De Ordinariis Collatoribus.* 253

disciplina enim Ecclesiastica diversis temporibus & Regionibus varia esse potest. Illud tamen invariatur manet, Beneficium dari propter Officium, & Beneficiatum per ipsum Beneficium constitui Ministrum Ecclesiæ illius, in qua Beneficium est fundatum. Cum igitur non deceat, Ecclesiæ, cujus summa Cura Episcopo incumbit, Ministeria distribui sine Episcopi consensu, etiam Episcopo semper aliqua circa Beneficium autoritas conservari solet, licet libera ejus Collatio ad alios sit devoluta, aut per Jus Patronatus, aliumve titulum restricta 26.): hanc auctoritatem suam exercent Episcopi, Beneficiatos examinando, curam animarum ipsis committendo, Præsentatos instituendo, titulum conferendo, electos confirmando &c.

§. 156. Auctoritatem suam circa Beneficia Episcopus præcipue exercet per liberam Collationem, quæ adeo propria est Episcopo, ut Sede vacante non

---

26.) ALEXANDER III. C. 3. de Instit. contrariam consuetudinem reprobat.

*petens  
semper  
ipsi est  
reser-  
vanda,  
etiam  
vacante  
Sede.*

non transeat in Capitulum, sed re-  
servari debeat futuro Episcopo 27.)  
Non arridet omnibus opinio illo-  
rum, qui cum Glossa rationem hu-  
jus dispositionis dant, quia Collatio  
hæc est fructus Jurisdictionis: nam  
ex crassa Beneficiorum Idea hanc ra-  
tionem procedere existimant 28.).  
Honestiorem rationem dat HONORIUS  
III. 29.), scilicet quod nusquam in-  
veniatur cautum in jure, quod Ca-  
pitulum in hoc succedat Episcopo.  
Vera hujus consuetudinis ratio esse  
potest, quia constitutio Ministro-  
rum Ecclesiæ speciali modo compe-  
tit Episcopo, qui curam habet to-  
tius Diocesis, & eam per Ministros  
exercet, in quibus eligendis Ecclesia  
singulariter confidit ejus Personæ  
30.): Collatio autem non libera,  
sed

27.) C. un. §. i. Ne Sede vacant. &c.  
in 6.

28.) VAN ESPEN p. 2. tit. 21. fol. 521.  
n. 26. seq.

29.) C. 2. Ne Sede vacant. aliq. innov.

30.) CABASSUT. Jur. Can. Theor. & Prax.  
lib. 2. c. 2. n. 12. testatur, quod Cura-  
ta Beneficia in Regno Franciæ confe-  
rantur sede vacante a Capitulo.

*De Ordinariis Collatoribus.* 255

sed restricta ob jus Patroni, eligentium &c, transit ad Capitulum Sede vacante. Collationes solent fieri per Literas patentes 31.), in quibus non solet fieri mentio supplicationis, quæ indicaret ambitum; nam non solum ad supplicantes debet attendi, sed etiam ad alios, qui sciuntur digni vel digniores.

§. 157. Jus Collationis competere non potest Laicis, quamvis nonnulli Principes verbo *Collationis*, vel *Conferendi* in suis Literis utantur; nam dare titulum Beneficii est actus juris spiritualis. Potest autem id competere Personis vel Communitatibus Ecclesiasticis 32.), præsertim Capitulis, intuitu Canonice, vel Beneficiorum incorporatorum. Si tamen istis incumbat Cura animarum, pro hac obtinenda recurrendum est ad Episcopum, qui solus dare

*Si Curatum conferatur ab alio, Episcopus tamen concedit Curam animarum.*

---

31.) Formulas exhibet BARBOSA ad tract. de Offic. Episc. form. 63. & seqq. MONACELLI Formul. legal. part. I. tit. 2. form. 10. seqq.

32.) C. 18. de Præscription.



dare eam potest 33.); nec sufficit sola & nuda approbatio ad excipiendas Confessiones, fortassis præhabita 34.).

*Instituit* §. 158. *Institutio* proprie dicta est, qua Episcopus confert titulum Beneficii ad præviam Præsentationem Patroni 35.): unde Jus Patronatus vel præ-dicitur *Potestas nominandi seu præsentandi*

33.) C. 4. de offic. Archidiacon. Conc. TRID. sess. 7. c. 13. de Reform. Potest tamen Curam committere, qui habet Jurisdictionem quasi Episcopalem in Territorio exempto, vel munitus est singularibus Privilegiis.

34.) *Cura* committitur respectu certæ plebis, in quam communicat Episcopus Jurisdictionem suam: simplex autem *Approbatio* datur vage pro tota Dicecesi; & præter eam ad valide absolvendum requiritur Jurisdictio aliunde obtenta, vel obtinenda. Vid. Dissertatio Trevirensis de Juribus Parochi Primitivi. C. 1. §. 10.

35.) Ad æquivocationem evitandam, notandum est, quod nomen Institutionis *autorizabilis* non eodem sensu sumatur ab Autoribus: nonnunquam intelligitur Institutio collativa tituli; sæpe confunditur cum Cura animarum, prout

*De Ordinariis Collatoribus.* 257

*tandi Clericum ad Beneficium vacans, sentatos*  
36.) in Jure communi fundata. *Cen-* *a Patro-*  
*setur originem sumpsisse ex Orato-*  
*nis.*

riis privatis, quæ eo tempore, quo  
publica sacra solummodo in Civita-  
tibus celebrabantur, Nobiles in pa-  
gis aut Castris suis pro opportuni-  
tate Familiæ suæ aut subditorum  
extruxerunt, ubi functiones sacras  
obibant Clerici, ab ejusmodi Nobi-  
libus cum assensu Episcopi assumpti.

R                      §. 159.

---

fit in summario, quod præmittitur Ca-  
pitulo 4. de offic. Achidiac. Ipse enim  
textus loquitur de *Cura animarum* pro-  
prie dicta, quam summarium vocat *In-*  
*stitutionem autorizabilem.*

36.) Jus nominandi & præsentandi non-  
nunquam est penes diversos: unus  
*nominat*, id est, designat personam ha-  
bilem; alter *præsentat*, hoc est, sistit  
nominatum Episcopo, ut instituatur in  
Beneficio. Sic Principes Bavarix jus  
nominandi ad varias Parochias tribue-  
runt Academia Ingolstadiensi, utpote  
quæ censetur habere exactiorem noti-  
tiam de habilitate & dignitate Perso-  
narum. Alia est nominatio variorum  
Regum & Principum ad Episcopatus &  
Prælaturas, quibus Pontifex de nomi-  
natis Personis providet.

*De Jure Rev. Eccles. Pars poster.*

*Patro-  
nus Ec-  
clesia* §. 159. Tam Episcopi 37.) , quam Patroni 38.) intra limites legitima consuetudinis se non continebant: unde oportebat 39.) , Jus Patronatus certis Constitutionibus ordinari 40.) . Patronus igitur hoc loco vocatur , qui *Ecclesiam , Beneficium aut Capellam de novo fundaverit , & construxerit 41.) ; seu jam erectam , qua tamen*

---

37.) Concil. TOLET. IX. c. 2. anno 655. quia fieri plerumque cognoscitur , ut Ecclesie Parochiales ita quorundam Episcoporum , vel insolentia , vel incuria horridam decidant in ruinam , ut gravior ex hoc oriatur edificantibus metor , quam in construendo gaudii extiterat labor &c. Reliqua referuntur in C. 32. XVI. q. 7.

38.) Conc. AURELIAN. IV. c. 7. anno 541. Ut in Oratoriis Domini prediorum minime contra votum Episcopi peregrinos Clericos intromittant &c.

39.) Sicuti legitima Patronatum jura tollere equum non est ; sic etiam , ut hoc colore Beneficia Ecclesiastica in servitutum redigantur , non est permittendum. Conc. TRID. sess. XXV. c. 9. de Reform.

40.) Vid. Conc. WORMAT. ann. 868. c. 49. & LATERAN. ann. 1179. c. 4. & C. relatum 14. de Jure Patron.

41.) Hoc loco quidem adhibetur particula copulativa *Et* : alibi mentio fit *fun-*



vel annexus sit bonis profanis, quamevis hæc forte ratione patrimonii deveniant in manus Clerici. Unde transfertur cum ipsis Bonis, quibus annexus est: separatim donari quidem 44.), non tamen vendi potest, cum dicat jus spirituale; neque bonorum pretium augeri potest ratione annexi Patronatus. Si Bona ad plures hæredes transeant, exercetur jus istud alternatim a singulis, vel ab omnibus simul 45.): quo casu si præsentatio pertineat ad plures ut singulos, ille censetur legitime præsentatus, qui plura suffragia respectu aliorum præsentatorum tulerit, simulque majora merita pro se habuerit 46.): si vero plures habeant jus præsentandi per modum Collegii aut Capituli, observandum erit idem, quod moris est in aliis actibus Capitularibus. Legitime autem præsentat, qui habet dominium utile bonorum 47.), vel tantum possessio-

- 
- 44.) C. un. de Jur. Patron. in 6.  
 45.) Clement. 2. de Jure Patron.  
 46.) C. 3. de Jure Patron.  
 47.) C. 7. ibid.

*De Ordinariis Collatoribus.* 261

sessionem hujus Juris, etsi forte  
proprietas illius sit litigiosa 48.):  
alii quidem possessores fructus post  
litis contestationem perceptos resti-  
tuere debent 49.): id tamen solum  
intelligitur de fructibus, qui sunt  
pretio æstimabiles, & percipientem  
faciunt ditiolem, aut restitui queunt,  
salvo possessionis usu.

§. 161. Patronus non potest præ-  
sentare seipsum 50.), bene tamen fi-  
lium suum. Præsentari semper de-  
bet dignus, & instructus qualitati-  
bus ad Beneficium requisitis; imo  
ad Curata Beneficia dignior, qui  
R 3 fit

Quomo-  
do ex-  
erceat  
jus su-  
um?

---

48.) C. 19. Ibid. Si cit. c. 7. valida dici-  
tur præsentatio facta, antequam de  
Jure Patronatus controversia esset sub-  
orta; intelligitur controversia de *Posses-  
sione juris.*

49.) L. 22. C. de Rei vindic.

50.) C. 26. de Jur. Patron. similiter si il-  
le, qui habet jus instituendi, præsentetur,  
hic non potest seipsum instituere  
ex generali illo principio, quod inter  
dantem & accipientem debeat esse di-  
stinctio personalis. C. fin. de Institut.  
quod in ejusmodi materiis locum ha-  
bet, ne ambitioni vel aliis fraudibus  
ocasio præbeatur.

fit utilior Ecclesiæ. Laicus præsentare debet intra quatuor, Ecclesiasticus intra sex menses (51.): & hic quidem variare non potest, ita ut ejus jus consumatur unica Præsentatione: Laicus autem variare potest, & etiam successive plures præsentare, ex quibus Episcopus seligit digniorem (52.): institutione autem unius facta, alter jus ullum ex Præsentatione prætereundere non potest: si intra dictum tempus nemo præsentetur, pro ea vice Ordinarius libere confert Beneficium (53.). Hoc Jus Patronorum Laicorum adeo inviolabile est in Germania, ut eidem nec Papa per Præventionem, nec Imperator per primas Preces, nec Episcopus per admissionem Permutationis præjudicet.

*Quid Ec-* §. 162. Patrono debentur jura ho-  
*clesia ip-* norifica, scilicet primus locus in Pro-  
*si debe-* cessione (54.), in Ecclesia, in thuri-  
fica-

51.) C. un. §. ult. eod. in 6.

52.) C. 24. de Jur. patron.

53.) In summis Principibus non exacte observari istud tempus, dictum est supra Tit. IX. not. 34.

54.) C. 25. de Jur. Patron.

ficatione, oblationibus, asperſione at, & aquæ benediçtæ, osculo pacis &c. ipse Ec- (55.): & si ad inopiam vergat, ab Ec- clesia illi modeste succurritur (56.). Vi- cissim debet Patronus protegere Ec- clesiam, & convenientem sollicitu- dinem gerere pro conservandis ejus- dem juribus (57.). Nec tamen ra- tione hujus muneris illi competit ul- la Jurisdictione in Clericos, nec ad- ministratio Bonorum Ecclesiæ (58.).

§. 163. Non confundi debent Pa- troni Ecclesiarum cum earundem *confun-* Advocatis & Defensoribus, quo- *dendus* rum varia diversis temporibus erat *cum Ad-* ratio & conditio: aliqui lingua & *vocato* manu etiam armata (59.), patrimo- *Ecclesiæ.* nium Ecclesiæ defendebant, ejus causas perorabant, inique Ecclesiis subtracta repetebant: nonnunquam

R 4 bono-

---

55.) Domini territoriales non solent ce- dere Patronis.

56.) Cit. c. 25.

57.) C. 31. XVI. q. 7.

58.) Prælati Regulares a Beneficiatis, quos præsentant Episcopo, possunt pro rebus temporalibus Ecclesiæ rationes exigere. c. 3. §. 2. de Privileg.

59.) Unde nomen *Advocatiæ armatæ.*



bonorum administrationem 60.) ; vel etiam judicariam potestatem 61.) in Ecclesiæ subditos nacti fuerant. Aliqui in prima fundatione Advocatiam sibi & successoribus reservabant: alii a Prælati Ecclesiæ eligebantur: alii ab Imperatoribus Advocatiam jure Feudi concessam habebant: unde alii dati, alii nati erant. Postquam autem eorum potentia & deprædatione non raro res Ecclesiarum vehementer affligerentur; plerique Prælati eam potestatem sui juris fecerunt, & jugum Advocatorum soluto gravi pretio, vel impetrato singulari privilegio excusserunt: nonnulli gratis pro anima sua eidem juri in perpetuum renuntiaverunt 62.)

Supre-

60.) Vulgo dicuntur *Castenvögte*, seu ut alii scribunt, *Cassenvögte*, nomine derivato a *Cistis*, in quibus pecunia ex-reditibus monasticis recondi solebat: non a Granario, quod voluit MAGERUS de Advocat. arm. c. 2. n. 240. & c. II. n. 5.

61.) Distingui debet *Protectio*, quæ nudam defensionem dicit, ab *Advocatia*, quæ Jurisdictionem infert, germanice *Vogtey*.

62.) De Jure Advocatiæ videri possunt MARTINUS MAGERUS de advocatia armata.

JOAN

*De Ordinariis Collatoribus.* 265

Suprema Advocatia Ecclesiarum Germaniæ est penes Imperatorem, ac penes alios Principes quoad Ecclesias in eorum Territoriis sitas. Idem Imperator mox in primo Capitulationis suæ articulo promittit jurato Defensionem & Protectionem Sedis Romanæ, Pontificis, ac Christianæ Ecclesiæ 63.).

§. 164. Jus Patronatus extinguitur, si pereat res, aut deficiat Familia, cui est annexum; aut titulus Beneficii, destructa Ecclesia, superimatur: perditur per renuntiationem Quomodo extinguitur jus Patronatus?

R 5

nem natus?

---

JOAN. NICOL. HERTIUS Opusculor. vol. 2. tom. 2. De Ordin. Cisterciens. libert. &c. sect. 3.

THOMASSINUS vet. & nov. Eccles. Discipl. part. 3. lib. 2. c. 55.

BÖHMERUS Jur. Eccles. Protest. lib. 3. tit. 5. §. 36. seq.

63.) Jus Protectionis Sedis Romanæ competere Regibus Francorum asserit PETRUS DE MARCA de Concord. Sacerd. & Imper. lib. 1. c. 12. cum istud pluribus possit esse commune. vid. SCHILTER. Libert. Eccles. Germ. lib. 3. c. 1. §. 12.

nem aut cessionem expressam vel tacitam 64.) factam Ecclesiæ; per non usum, quando Ordinarius est in possessione juris pro libera Beneficii Collatione; per Crimen, quod in materia Feudi vocaretur Felonia, ut si Patronus occideret Beneficiatum 65.). Item si se ingerat in perceptione fructuum Beneficii Patronati, aut Jus Patronatus vendat, aliove titulo contra Canonicas sanctiones in alios transferat 66.). Item per lapsum in hæresim, quam Sacri Canones habent tanquam crimen læsæ Majestatis 67.). Si Controversia oriatur directe circa Jus Patronatus, Judex Ecclesiasticus est competens 68.).

§. 165.

64.) Tacita cessio censetur, si Patronus patiatur Ecclesiam patronatam converti in Collegiatam, vel Conventualem, absque sui juris reservatione.

65.) C. 12. de pœnis.

66.) TRID. sess. 25. c. 9. de Reform. & sess. 22. c. 11. de Reform.

67.) In illis Germaniæ Provinciis, in quibus observatio Pacis Westphaliæ viget, Patroni Protestantes præsentant Catholicos, & Catholici præsentant Ministros Protestantes.

68.) Plura videri possunt apud ROCHUM DE CURTE, CÆSAREM LAMBERTI-  
NUM,

*De Ordinariis Collatoribus. 267*

§. 165. Hæc dicta sunt occasione *Alia ob-*  
*Institutionis*, qua confertur titulus *servan-*  
beneficii ad præviam præsentatio- *da circa*  
nem Patroni ( §. 158. ). Potestas hæc *Institu-*  
instituendi præsentatos pertinet ad E- *tionem*  
piscopum, vel ejus Vicarium Gene- *Præsen-*  
ralem 69. ), aut sede vacante ad Ca- *tati.*  
pitulum Cathedrale 70. ) : vel etiam  
ad inferiores Prælatos ex jure specia-  
lis privilegii, præscriptionis, aut con-  
suetudinis 71. ). Si autem præsentatus  
autoritate, vel verius temeritate  
propria occupare Beneficium non ve-  
reatur, eo ipso jus, quod ad illud  
ipfi competeat, amittit 72. ). Præ-  
sentati autem vel nominati debent a  
locorum Ordinariis examinari, & ido-  
nei reperiri, exceptis iis, qui præ-  
sentantur vel nominantur ab Univer-  
sitati-

---

NUM, & JULIANUM VIVIANUM de  
Jure Patronatus. VAN ESPEN &  
omnes, qui scribunt Comment. in lib.  
III. Decretal. tit. 38.

FRANC. MARIA PITONIUS de Contra-  
versis Patronorum.

69.) C. 3. de Institut.

70.) C. 1. eod. in 6.

71.) C. 6. de Institut.

72.) C. 18. de Præbend. in 6.

fitatibus, seu Collegiis generalibus studiorum 73.). Post Institutionem in Titulo Beneficii, superest adhuc Institutio corporalis, qua Beneficiatus mittitur in possessionem: hæc regulariter competit Episcopo, seu delegatis ab ipso 74.); & multis in locis etiam a Laicis quoad temporalia 75.). Supra Tit. IX. §. 127.

*Nova forma Provisi-  
onis ordi-  
naria per Con-  
cursum.* §. 166. Ut provideatur Parochia-  
libus Ecclesiis, novam formam præ-  
scribit Concilium TRIDENTINUM 76.)  
per *Concursum*, qui in multis Germa-  
niæ Provinciis non est receptus, ex  
ea forsan ratione, quod ibi plurimæ  
Parochiæ sunt Patronatus Laici, vel  
incorporatæ Capitulis aut Conventi-  
bus, ad quas non extenditur Consti-  
tutio Synodi 77.). Certe non atten-  
dun-

73.) Conc. TRID. sess. VII. c. 13. de Reform.

74.) Institutio corporalis Canonorum pertinet plerumque ad Decanum. c. 7. de concess. præbend.

75.) Vid. Concord. Bavar. cap. 4.

76.) Sess. 24. c. 18. de Reform.

77.) De Ecclesiis incorporatis hoc declarat Pius V. Const. ad exequendum 47. §. 5. Tom. 2. Bullarii: quæ Constitutio

*De Ordinariis Collatoribus.* 269

duntur apices ejusdem, neque recentiores interpretationes Romanæ, nec Constitutio PII V. 78.), sed sola utilitas Ecclesiarum pro locorum & temporum conditione. Cum igitur vel specialis modus hujus Concursus in quibusdam Germaniæ Diocesis observetur, vel omnino Concursus nunquam in usum transierit; hinc instituto nostro satisfieri credimus remittendo Lectorem ad Concilium TRIDENTINUM, & Autores de Concursu fusius disputantes 79.). Id solum observatur, Examinatores synodales, quorum operam requirit  
Syno-

---

tio est quidem ad terminos Juris & Concilii Trident. reducta per GREGORIUM XIII. Constit. 9. in tanta. Nihilominus ipsa ratio videtur eximere Ecclesias incorporatas, utpote quæ nunquam vacant, sed tanquam accessorix assumunt naturam & privilegia Ecclesiæ principalis.

78.) Constit. In conferendis. 33. Tom. 2. Bullarii.

79.) Tales sunt ZYPÆUS Consult. 1. de Elect.

BARBOSA de Offic. Episc. part. 3. allegat. 60.

MAS

Synodus, hodie, ubi synodi non solent celebrari, eligi ab Episcopis tanquam Synodi Diœcesanæ Præsidibus, & præcipuis Directoribus.

**TITULUS XII.**  
**UT ECCLESIASTICA BENE-**  
**FICIA SINE DIMINUTIONE**  
**CONFERANTUR.**

*Confer. Lib. 3. Decretal. tit. 12. c. 39. Sext. tit. 20. Clem. tit. 13. Extrav. com. tit. 10.*

§. 167.

*Beneficia regulariter sine diminutione* **S**ICUT BENEFICIATI requisitas habere debent qualitates; ita etiam Beneficia nec antiquis emolumentis diminui, nec novis oneribus gravari debent, contra intentionem Fundatorum, aut SS. Canonum. Unde Regu-

---

MASSOBRIUS in praxi habendi Concursum.

FAGNANUS ad C. eam te, de ætat. & qualit. præficiend.

VAN ESPEN p. 2. tit. 22. c. 3.

PITONIUS de Controversiis Patronorum Alleg. 5.

*Ut sine diminutione &c. 171*

Regulæ instar Rubrica Decretalium allegari solet, ut *Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur. Onera Beneficiorum vel sunt Personalia, ad obsequium ab ipso Beneficiato præstandum e. g. assistere Choro, habere Conciones, legere plures Missas &c. vel Realia, retinendo aut exigendo partem fructuum, summam pecuniæ, aliosve Censuræ &c. Insuper aliud onus imponi dicitur Beneficiato, quod cum ejus vita extinguitur; aliud Beneficio, quod ad successores perpetuo transit. Regula tamen sub isto Titulo tradita, patitur suas exceptiones, ut ex sequentibus patebit.*

§. 168. *Onera Personalia ex gravi & prudente ratione possunt nonnunquam pro Bono Ecclesiæ & animarum, Beneficiato vel Beneficio ab Episcopo imponi, non solum tempore, quo vacat Beneficium, sed etiam in ipsa ejus collatione, modo fini per Fundatorem intento non præjudicetur. Exemplum præbet Ecclesia Insulensis 80.), quæ Præbendæ cui-*

*conferenda sunt.*

*Onera Personalia nonnunquam rationaliter imponuntur:*

---

80.) C. II. de Præbend.



cuidam personalia onera adjecit. Accessit quidem Confirmatio Pontificia, nescio quo petente: eam tamen universim esse necessariam, non apparet: forsan Beneficiatus ille de onere conquestus est; vel alius quispiam dubium movit, præsertim cum ad eam Præpositi & Capituli ordinationem assensus Episcopi non legatur adhibitus: provide igitur factum, ut onus illud autoritate Pontificia confirmaretur. Laudandus est Episcopi Zelus, si Beneficiato otioso pro augendo Cultu Divino imponat onus, etiam ad successores transiturum, e. g. si Primissarium in Ecclesia Rurali obliget ad Concionem Catechetica sub Sacro habendam, cum homines eidem Matutinæ Missæ assistentes nec Concionem, nec Catechesin ferme per totum annum audiant 81.). Quamvis Collationes Bene-

---

81.) VAN ESPEN Jur. Eccl. p. 2. tit. 18. c. 4. n. 31. refert, inter articulos pro reformatione Ecclesiæ nomine CAROLI IX. Galliarum Regis Patribus Tridentinis oblatos, fuisse vigesimum quartum hunc: *Cum plura sint Beneficia, in qui-*

Beneficiorum sub conditione, modo, pacto aut onere, Simoniam sapiant 82.): nullum tamen est Simoniae periculum, si modus aut conditio spiritualis autoritate Ecclesiastica annectitur, cum hac ratione nihil detur, quod similitudinem pretii habere possit. Respuunt quidem Sacri Canones conditionem in Electione adjectam 83.): sed hoc intelligendum de conditione eventus futuri, & actum suspendente.

§. 169. Onera *Realia* imponere *Etiam*  
prohibitum est, ad cohibendam *Realia,*  
avariam Collatorum, ne isti emolu- *que non*  
men-

S

men-

---

quibus contra Beneficiorum omnium institutionem invaluit depravata consuetudo, ut qui ea possident, nullo teneantur concionandi, Sacramenta administrandi, aut alio onere Ecclesiastico, Episcopus cum consilio Capituli his Beneficiis curam aliquam spirituales imponat, aut si utilius videatur, ea beneficia vicinioribus Parochialibus Ecclesiis uniat &c. qua ratione Synodus his postulatis satisfecerit, notat idem VAN ESPENN. 32.

82.) C. fin. de pact.

83.) C. 2. de Elect. in 6.

*De Jure Rer. Eccles. Pars poster.*

*sapiunt* menta sua ex Collatione captarent.  
*avaritiam* Innumeri Sacri Canones hanc Simoniam impietatem detestantur, de qua  
*Collatorum:* suo loco. Non tamen omnia onera realia ex aliis variis titulis imposita, de crimine Simoniam infimulari debent.

*Tale o-* §. 170. Primo loco ponimus *Annus sunt natus.* Harum variam sunt species.  
*I. Anna-* *Annata* proprie sumpta, est dimidia  
*te:* pars veri annui valoris fructuum Beneficii inferioris vacantis, quae ipsi Summo Pontifici integre relinquitur. Hodie dicitur *Annata Bonifaciana*, quia ejus forma hodierna ortum duxit a BONIFACIO IX. Altera species est *Commune Servitium*, scilicet quantitas certa pro quolibet Episcopatu, vel Abbatia Consistoriali secundum antiquam taxam solvenda. Ejus dimidium tribuitur Papae; reliquum inter Cardinales praesentes dividitur. Tertia species sunt *Minuta Servitia*, scilicet quinque portunculae, quae secundum proportionem taxae fructuum Episcopatus, vel Abbatiae inter certos Papae Ministros, & Officiales distribuuntur. Demum *Quindennium* est *Annata*, quae singulis

lis quindecim annis solvitur pro Beneficiis perpetuo unitis 84.).

§. 171. Diversitas opinionum de *Quarum* origine Annatarum ex eo oritur, *varia e-* quod aliqui ad hos, alii ad alios *ratori-* usus vel abusus, natales earum re-*go:* ferant: discordia hæc nullius est momenti. Non lubet ascendere ultra Indultum illud, quo Romani Pontifices Episcopis nonnunquam vel omnes fructus, vel fructus primi anni ex Beneficiis ad collationem horum Episcoporum pertinentibus, quæ intra certum tempus e, g. intra biennium, vel quinquennium vacassent, pro expungendis Ecclesiæ suæ debitis concesserunt 85.). Quod autem Pontifices aliis Episcopis concesserant, idem sibi quoque licere censebant, quando Ecclesia Romana necessitatibus urgebatur. Pro his

S 2

JOAN-

---

84.) Juxta Const. PAULI II. Decet Romanum. quam illustrat Card. PETRA Commentar. in Apost. Const. tom. 5.

85.) HONORIUS III. C. 32. de Verb. signif. BONIFACIUS VIII. C. 10. de Rescript. in 6. item C. 26. de Præbend. in 6. Plura exempla recenset THOMAS-  
SIN. p. 3. l. 2. c. 58. n. 2. seq.

JOANNES XXII. in quibusdam solummodo Regnis exigebat fructus primi anni Beneficiorum 86.): & post biennium publicavit Decretalem 87.), qua explicat Constitutionem suam de Reditibus primi anni Beneficiorum per triennium vacantium. Demum Annatæ hæ factæ sunt perpetuæ a tempore BONIFACII IX. & Schismatis Avenionensis 88.).

*Et graves que relecon- tra eas.* §. 172. Graves querelas hac de re moverunt tum aliæ Nationes, tum etiam Germani, super quibus varie disputatum fuit in Concilio CONSTANTIENSI 89.). MARTINUS V. in eodem Concilio electus, proposuit Nationibus Reformationem Curie Romanæ 90.), cujus Articulus III. de

---

86.) RAYNALD. ad Ann. 1317. n. 49.

87.) Extrav. II. inter commun. de Præbend.

88.) RAYNALD. ad Ann. 1399. n. 12.

89.) Publica declaratio Nationis Gallicæ de Annatis non solvendis in Concilio lecta, refertur apud VONDERHARDT tom. I. part. 13. fol. 761. seqq. cui opposita Apologia PETRI DE ALLIACO habetur ibid. tom. 6. part. 2. fol. 51.

90.) Ibid. tom. I. part. 23. fol. 1024.

de Annatis consonat Concordatis inter eundem Pontificem & Germanicam Nationem quoad Ecclesiastici Regiminis emendationem, ut sonat Rubrica, adornatis 91.). Cum autem nihil stabile & firmum fuisset conclusum Constantiæ, Patres Concilii BASILEENSIS, occasionem hanc carpenti Aulam Romanam arripientes, de consuetudine solutionis Annatarum omnino tollenda egerunt. Opposuerunt se Legati Apostolici 92.): quos non morati Patres hujus Synodi Decretum de Annatis abolendis ediderunt 93.), autoritate huic negotio nequaquam commensurata.

S 3

§. 173.

---

91.) Ibid. part. 24. fol. 1063.

92.) Rationes eorum refert AUGUSTINUS PATRICIUS in Histor. Concil. Basileenf. §. 44.

93.) Sess. 21. Anno 1435. Ut EUGENIUS IV. accederet huic Decreto, miserunt Basileenses ad Pontificem Florentiæ tunc agentem Legatos, inter quos erat Joannes de Bachenstein, cujus Orationem exhibet HARDUIN. tom. 8. col. 1505. & Responzionem Antonii Pontificii Auditoris. ibid. col. 1511. seqq.

*In Ger-  
mania  
nullæ  
dantur,  
exceptis  
Benefi-  
ciis Con-  
sistoria-  
libus.*

§. 173. Sed EUGENIUS IV. Germanis a Synodo Basileensi abstractis, in Bulla edita 7. Id. Febr. Ann. 1447. præter plura alia Indulta remisit quas-  
cunque obligationes super Annatis usque in illud tempus debitis: iniit-  
que Concordata, eodem anno a Successore suo NICOLAO V. publica-  
ta, quibus fere inserta sunt, quæ supra inter MARTINUM V. & Natio-  
nem Germanicam circa Annatas con-  
venta diximus, scilicet: *De Ecclesiis Cathedralibus & Monasteriis Virorum duntaxat, vacantibus & vacaturis (quæ Beneficia Consistorialia vocantur) solvantur de fructibus primi anni a die vacationis summa pecuniarum in libris Camera Apostolica taxata, quæ Communia Servitia nuncupantur. . . pro media parte infra annum a die habita possessionis pacificæ . . . & pro alia media parte infra annum sequentem 94.)*; & si in-  
fra

---

94.) His Concordatis Anno 1447. expeditis, mox intra decennium conqueritur Cancellarius Moguntinus MARTINUS MAYR in Literis ad Æneam Sylvium, tunc Cardinalem Senensem datis, quod *Annate absque ulla dilatione temporis*

fra annum bis vel pluries vacaverint, semel tantum solvantur, nec debitum hujusmodi in successorem in Ecclesia, vel Monasterio transeat 95.). De ceteris

S 4 vero

poris exigantur. Respondet Cardinalis, hoc ab eorum ingratitude ortum, qui cum Ecclesiis consecuti essent, dilationemque faciendæ solutionis obtinuisent, neque in prestitata die, neque multis post annis, Apostolica Camera satisfacere curaverunt &c. Vid. Epistola fusior ÆNEÆ SYLVII, quæ de Moribus Germaniæ inscribitur. Morosam talem solutionem expertus est hic ipse Æneas Sylvius, quando ad Pontificatum sub nomine PII II. evectus, Dietherum Archiepiscopum Moguntinum e Sede sua ob hanc etiam causam dejecisse dicitur, ut vult NAUCLERUS Chronograph. Vol. 2. ad ann. 1461. fol. 1091. seqq. Cruentam tragædiam refert JOANN. GOBELLENUS in Comment. PII II. lib. 6. postquam lib. III. fol. 64. recensuisset Simoniacam Dietheri electionem. Recentiorum Pontificum Constitutiones pro maturanda Annatarum solutione referuntur in septimo Decretal. lib. 2. tit. 3. Nihilominus GEORGIUS BRANDEN super Concordatis quæst. 5. n. 39. conqueritur contra indiscretos quosdam actus Annatistarum &c.

95.) Ex paritate rationis inferitur, non deberi Annatas, si quis possessionem non obtineat, proin pecunias jam solutas, esse



vero Beneficiis quibuscunque, quæ  
 autoritate Sedis Apostolicæ confe-  
 rentur, solvantur Annatæ, seu me-  
 dii fructus juxta taxam solitam a  
 tempore possessionis intra annum &c.  
*sed de Beneficiis, quæ valorem viginti  
 quatuor florenorum auri de Camera non  
 excedunt, nihil solvatur.* Consequen-  
 ter de nullo Beneficio Germaniæ  
 solvantur Annatæ, cum singula in  
 Camera Apostolica taxata sint ad va-  
 lorem viginti quatuor florenorum  
 auri. Solum igitur communia &  
 minuta servitia præstantur pro Bene-  
 ficiis Consistorialibus, scilicet Epi-  
 scopatibus & Abbatiis, quæ ex Con-  
 firmatione Pontificis obtinentur.

§. 174.

---

esse restituendas. Sic Romæ judicatum  
 1667. & 1677. item anno 1712. prout  
 refert Card. Petra in Comment. ad Const.  
 Apostol. tom. 5. ad Const. I. Nicolai V.  
 sect. un. n. 67. occasione Coadjutoris  
 Olomucensis ante Coadjutum defuncti:  
 quamvis Franc. Maria Pitonius acriter  
 pro Annatistis contra Hæredes scripse-  
 rit, ut videre est in ejusdem Discept.  
 Eccles. part. 1. discept. 18.

§. 174. Ex dictis liquet, hæc Beneficiorum emolumenta longe antea ad varios Episcopos pervenisse, quam ad Romanos Pontifices, habere rationem subsidii ex Reditibus beneficialibus pro Aula Pontificia, Collegio Cardinalium, & Officialibus Curia Apostolica, qui omnes labores suos & operam impendunt pro bono universæ Ecclesiæ. Unde sicut in aliis Episcoporum aut Parochorum emolumentis, ita nec in Annatis ulla intervenit umbra Simonia 96.) Nam non Prælatus, S r fed

---

96.) Simonia Bonifacium IX. infimulat acerrimus ejus Adversarius THEODORICUS A NIEM de Schismate lib. 2. c. 7. sed BÖHMERUS de nimio in Pontifices favore minime suspectus, Jur. Eccles. Protest. lib. 1. tit. II. §. 46. fatetur, inania esse, quæ ex vitio Simonia Annatis asperguntur. Aspergit autem liberaliter DUARENUS de Sacris Eccles. Minister. lib 6. c. 3. quem refellit AZOR Inst. Moral. p. 2. lib. 7. c. 12. Hunc simul & Pontifices impugnat LAUNOIS Oper. tom. 2. Vol. 2. de Eccles. tradit. circa Simon. c. 57. observat. 19. Lauroii doctrinam reprobatur NATALIS ALEX.

sed Ecclesia ipsa, antequam ei aliquis præficatur, ad solutionem Annatarum de mediis fructibus ex ipso vacationis die Camera Apostolicæ obligatur: propterea qui Ecclesiæ præficatur, medios solvit fructus, sicut alia debita ad utilitatem Ecclesiæ contracta 97.). Certe ipsi Patres Synodi BASILEENSIS, qui Annatas persequerentur, promittebant, pro oneribus, quæ Summum Pontificem pro regimine universalis Ecclesiæ subire oportet, proque sustentatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium & aliorum necessariorum Officialium, ante dissolutionem Con-

lii

---

ALEXANDER Hist. Eccl. tom. 8. Dissert. 9. ubi tamen non approbat omnia argumenta FAGNANI in C. præterea, Ne Prælati vices suas &c. quibus n. 63. seqq. impugnat Cosmam Guimier, qui in Glossis ad Sanct. Pragmat. Tit. de Annatis. acrius contra easdem invehitur.

97.) Sic ratiocinatur THOMAS CAMPEGIUS tract. de Annatarum Institutione n. II. Similia argumenta fusius pertractata legi possunt apud PETRUM DE MARCA de Concord. Sacerdot. & Imper. lib. 6. c. 12.

liti omnino debite & congruenter providere 98.), quod tamen nunquam factum est: postquam autem FELICEM Antipapam elegissent, ob defectum aliorum reddituum, certam partem fructuum primi anni omnium Canonicatum & Præbendarum ipsi per decennium assignarunt 99.).

§. 175. Horum exemplo etiam *Et Protestantes* hodierni Germaniæ nostræ *Protestantes* stantes, jus exigendi Annatas, quas *Germania, quas* Pontifici Romano invident, suis *negant* Principibus Laicis adjudicant. *West-Pontifici, adju-* Quando enim Instrumento Pacis *dicant* Westphalicæ 100.) statuitur, ut si quid *suis* Annatarum nomine in 'bonis *Principibus.* Statuum Augustanæ Confessionis *Principibus.* Ecclesiasticis immediatis prætendatur, *Principibus.* id validitate careat; censent *Principibus.* Protestantes 1.) Annatas quidem Papæ esse

98.) Sess. 12. in fin.

99.) Ibid. sess. 42.

100.) Art. V. §. 19.

1.) STRYCKIUS Dissert. Vol. 7. disp. 4. de Jure Papali Principum Evangelicorum. c. 4. §. 7. seqq. BÖHMERUS cit. lib. 1. tit. 11. §. 32. seqq. item Consultation.

esse denegatas, non tamen eo ipso prorsus remissas & extinctas, sed potius Principibus Protestantibus, vi Juris circa Sacra, reservatas. Controversia inter hos est, an Principes Protestantes in exigendis Annatis ea moderatione uti teneantur, qua uti sunt Pontifices, tum ex Concordatis Germaniæ; tum ex usu recepto: e. g. an in Beneficiis inferioribus non verus fructuum valor, sed moderata taxa attendi debeat? an nihil exigere possint ex beneficiis valorem 24. florenorum auri non excedentibus? an omnes Canonici non ad majorem, quam 24. florenorum auri valorem taxandi sint? an si eodem anno Beneficium bis vacet, duplices Annatæ solvi debeant? an ex Canonici & Beneficiis, ex quibus Pontifices ante Pacem Westphalicam nihil exegerunt, etiam ipsorum Principes hodie nihil

---

tation. tom. I. part. I. Respons. 15. n. 64. seqq. VITRIARIUS cum Notis Pfeffingeri lib. I. tit. 15. §. 24. tom. I. fol. 1405. seqq.

nihil exigere possint? &c. His contro-  
versis nos non immiscemus 2.)

§. 176. Alterum locum inter one- *II. Aliud*  
ra Beneficii obtinet *Census*, per quem *onus est*  
hoc loco intelligitur pensio annua *Census*  
ex proventibus Ecclesiasticis solven- *annuus* ;  
da, in signum vel subjectionis, vel  
alterius juris. Est vel *antiquus*, qui  
statim initio & tempore foundationis  
impositus est Ecclesiæ, velut onus  
reale: vel *novus*, qui postea impo-  
nitur ab homine. Uterque vel est  
per-

- 
- 2.) Ex A catholicis præter allegatos,  
Annatas calumniis infectantur JOAN-  
NES SLEIDANUS de stat. Relig. lib.  
4. ad ann. 1523. HENNIGES Medit. ad  
Instrum. Pac. Art. V. §. 19. REINKING de  
Regim. Sæcul. & Eccles. lib. 3. class. 1.  
c. 8. n. 24. seqq. SCHILTERUS de Li-  
bertat. Eccles. Germ. lib. 5. c. 6. §. 2.  
Ex Catholicis præter citatos, Annatas  
propugnant RODRIQUEZ FERMO-  
SINUS tom. 1. ad c. 10. de Constit. quæst. 19.  
n. 12. seqq.  
MELCHIOR LOTTERIUS de Re Bene-  
fic. lib. III. quæst. 20.  
P. IGNATIUS SCHWARZ Colleg. Hi-  
stor. part. 6. quæst. 7.  
JOAN. CASPAR. BARTHEL opuscul.  
tom. 2. Dissert. prælimin. de Concord.  
German. cap. 3.

*perpetuus*, vel *temporalis* seu ad certos annos duntaxat. Censum antiquum Beneficiis aut Ecclesiis imponere potest *Papa* in signum subjectionis, vel etiam solius protectionis, aut in recognitionem exemptionis 3.): *Episcopus* tempore foundationis, dotationis vel Consecrationis Ecclesie 4.): *Patronus* in limine foundationis cum consensu *Episcopi* 5.). Censum novum *perpetuum* regulariter Ecclesiis nemo *Papa* inferior, proinde neque *Episcopus* praesertim in sua, vel *Capituli* Mensae utilitatem imponere potest, aut antiquum augere 6.): *temporalem* vero imponere potest *Episcopus*, sicut dicetur de Pensionibus & Subsidio charitativo.

*Census antiqui species est Cathedralicum* §. 177. *Census antiqui species est Cathedralicum*, quod ab omnibus Ecclesiis, Capellis & Beneficiis *Episcopo* praestari solet singulis annis in signum

3.) C. 2. de Censib. &c. C. 8. de Privileg. C. 10. eod. in 6.

4.) C. 30. XVIII. q. 2. c. 23. de Jure Patron. c. 7. de Censib.

5.) C. 16. de Censib.

6.) C. 3. & 7. de Censib.

signum subjectionis, & honorem <sup>thedrati-</sup>  
Ecclesiæ Cathedralis. Dicitur etiam <sup>cum,</sup>  
*Synodaticum*, eo quod in Synodo  
Diocesana solutum fuerit: Synodis  
non celebratis, Cathedraticum tem-  
pore Visitationis exhibebatur: ne  
autem videretur pecunia dari ratio-  
ne Visitationis 7.), hodie in nostris  
Diocesibus passim colligitur, quan-  
do Archidiaconi vel Decani rurales  
conventum celebrant. Nullum ha-  
bemus Canonem, qui primum onus  
Cathedratici imponat; multos au-  
tem & antiquos, qui jus istud Epi-  
scoporum supponunt, ejusque ob-  
servantiam urgent 8.), ita tamen,  
ut

---

7.) Hoc prohibet Conc. TRID. sess. 24  
c. 3. de Reform. nequaquam tamen  
præjudicat Juribus Cathedratici. FAG-  
NANUS in c. conquerente. de offic. Jud.  
ord. Vid. CHRISTIANUS LUPUS in Dif-  
fert. ad Concil. Ephes. operum tom. 2.  
fol. 39. tom. 3. ad Can. 4. Concilii VII.  
& tom. 4. fol. 96. seq.

8.) C. I. X. q. 3. ex Concilio BRACCA-  
RENSI II. anno 572. item c. 8. ibid. ex  
Concil. TOLET. VII. ann. 646. INNO-  
CENTIUS III. c. 7. de Donation. & c. 20.  
de Censib. HONORIUS III. c. 16. de Of-  
fic. Jud. Ord.



ut non excedat duos solidos: non videtur autem verosimile, intelligi hoc loco solidos aureos Græcorum Imperatorum 9.); cum in singulis fere Provinciis moneta aliqua sub hoc nomine inveniatur, & diversa hujus Censûs quantitas in variis locis recepta deprehendatur 10.): respiciendum igitur est ad quantitatem reddituum, & ad consuetudinem singularum Diœcesium 11.), quamvis enim consuetudo vel præscriptio tollere non possit Cathedralicum,  
po-

---

9.) Ejusmodi solidi septuaginta duo tempore Justiniani conficiebant libram auri. l. 5. C. de susceptorib. de quorum pretio agit COVARRUV. de Collat. veter. numism. c. 3. & var. resol. lib. 1. c. 11. n. 3.

10.) HONORIUS III. cit. c. 16. determinat duos solidos Lucensis monetæ: C. 20. de Censib. præstantur sex Denarii Papienses: in Concilio ROMANO sub Benedicto XIII. anno 1725. tit. 8. c. 4. duo solidi computantur pro viginti Juliiis, seu duobus scutis monetæ; tenuiora autem Beneficia solvere jubentur Julios 15. 10. 5. vel etiam duos.

11.) BARBOS. de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 86, v. 41.

potest tamen illud diminuere 12.):  
in dubio autem tenetur illud, quod  
in vicinis Provinciis observatur 13.).

§. 178. Sicut in aliis Regnis 14.) *Etiam*  
Jus Cathedralitici, ita etiam in Ger- *in Ger-*  
mania semper viguit, vigetque ho- *mania*  
die 15.), & quidem ita rigide, ut *hodie*  
præscriptio vel consuetudo, etiam *vigens:*  
immemorialis, non obstantibus Theo-  
riæ principis, in praxi Curia Ro-  
manæ

T

manæ

12.) FAGNANUS in c. olim. de Censib.

13.) C. 22. de Censib.

14.) PAX JORDAN Elucubr. vol. 2. lib. 7.  
tit. 18. n. 112. allegat causam, ex qua  
Ecclesiæ Dalmatiæ non solvunt Ca-  
thedraliticum. Carolus Fevret de Abu-  
su lib. 3. c. 4. n. 6. putat, usum Ca-  
thedralitici ferme esse abrogatum in Gal-  
lia: sed eum refellit ALTESERRA in  
Vindic. Jurisdic. Eccles. lib. 2. C. 19.

15.) BÖHMERUS Consult. tom. 1. Resp.  
15. n. 102. intelligendus solum est de  
Ecclesiis Protestantium, quæ Principi-  
bus suis Laicis, quibus tamen alia jura  
Episcopalia adjudicant, nihil præstant  
Cathedralitici nomine: nihilominus Mi-  
nistri Protestantes in multis locis ali-  
quid conferunt, quod Cathedralitici vi-  
ces supplere videtur, teste HENRICO  
LINCK, Autore A catholicis, de Jure  
Episcopali. C. 10. n. 65. seqq.

*De Jure Rer. Eccles. Pars poster.*

manæ non præjudicet Juri Cathedralici 16.): neque enim præsumitur Privilegium Pontificis, nec Episcopus potest cedere jure suo in præjudicium successoris 17.). Tenentur autem ad solvendum Cathedralicum omnia Beneficia, Capellæ, & Ecclesiæ etiam filiales, quæ Beneficium separatum sub speciali titulo complectuntur: secus, si titulus omnino sit extinctus, & duæ Ecclesiæ sub uno titulo administrantur, ita ut

---

16.) BENEDICTUS XIII. in Conc. ROMAN. tit. 8. c. 4. BENEDICTUS XIV. in tract. de Synod. Dioces. l. 5. C. 7. n. 6. quamvis antiquiores decisiones videantur contrariæ apud PIGNATELLI tom 6. Consult. 8.

17.) PITONIUS Discept. Eccles. 35. n. 8. & 9. ERASMUS A CHOKIER de Jurisdic. Ord. in Exempt. p. I. q. 3. n. 4. PIASECIUS prax. Episc. p. 2. C. 2. art. 2. n. II. Carnotenses Canonici sperabant, Lexoviensem Episcopum more Antecessorum suorum nihil exacturum ex Parochiis, quas Canonici in isto Episcopatu habebant. legi meretur inter Epistolas S. FULBERTI epist. 57. & 110. ibi vocatur *Synodus*, hic autem *Circada*, quia tempore Visitationis præstari solebat.

ut Ecclesia filialis sit quasi prædium Ecclesiæ Parochialis 18.). Ecclesiæ Monasteriorum, sicut a reliqua Legge Diocesana, ita etiam a Cathedralico immunes sunt 19.), non tamen Ecclesiæ Monasteriis incorporatæ 20.), nisi forte consuetudo eas æquare videatur ipsis Monasteriorum Ecclesiis 21.).

§. 179. Census novi species sunt *Census novi species sunt*  
*Pensiones*, quo nomine intelligitur *Pensiones*  
jus percipiendi aliquos fructus ex  
alieno Beneficio, autoritate legitima,  
& iusta de causa concessum. Non  
agimus de Pensione *Laica*, quæ datur  
Laicis vel Clericis propter obsequium  
temporale: nec de *Clericali*,  
quæ Clericis propter officium spi-  
rituale:

T 2

- 18.) De hac unione vid. HIER. GONZALEZ in Reg. 8. Cancell. gloss 5. §. 7. LOTTERIUS de Re Benefic. lib. 1. q. 28. a n. 96.  
19.) C. 8. X. q. 3. C. 34. XVI. q. 1. C. 5. XVIII. q. 2.  
20.) C. 16. de Offic. Jud. Ord. C. 12. de Præbend. Clement. 1. de Censib. C. fin. de Capell. Monach. ibi: *Monachi lege tibi Diocesana subiecti.*  
21.) P. SCHMIER Jurisprud. lib. 3. tr. 1. p. 3. C. 1. n. 32.

rituale: sed de *Mixta*, quæ constituitur quidem solis Clericis, non tamen propter officium spirituale, sed per modum Eleemosynæ ad sustentandum Clericum pauperem, senem, ægrum &c. Nullus Papa inferior imponit ipsi Beneficio pensionem perpetuam alteri Clerico solvendam 22.): Episcopus tamen potest imponere moderatam pensionem 23.)  
Bene-

22.) C. 7. de Censib. si ex redditibus pinguioris Beneficii subvenitur Ecclesie pauperi vel in perpetuum, vel ad certum tempus, id non habet rationem pensionis, sed solummodo si imponatur in utilitatem privati cujusdam Clerici.

23.) Ita ut Beneficiato semper relinquatur congrua sustentatio. Unde Concilium TRIDENTINUM sess. 24. C. 13. cavet, ut *Cathedrales Ecclesie, quarum redditus summam Ducatorum mille, & Parochiales, quæ summam Ducatorum centum secundum verum annum valorem non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur.* Et INNOCENTIUS XII. anno 1692. prohibet pensiones super Ecclesiis Parochialibus imponi, ut Parochi liberalius possint subvenire necessitatibus Parochianorum suorum. Edictum hoc continetur in *Collect.*

Beneficiato, non tantum morte ipsius cessaturam, sed etiam duraturam usque ad mortem Pensionarii 24.): qua ratione censetur onerari solus Beneficiatus, ex ea tamen causa, quæ sufficiet ad onerandum etiam ejus Successorem, cui censebitur de novo idem onus imponi, si forte Pensionarius adhuc vivat.

§. 180. Justa causa imponendi *Ex justa* Pensionem est pro bono pacis ad *Causa* sedandas lites 25.): pro alimento *impo-*

**T 3** . . . . . refig- *nenda.*

---

lect. Bullarum Innocentii XII. num. 88. estque conceptum lingua Italica, consequenter non extendendum extra Italiam.

24.) In C. 21. de Præbend. prohibetur quidem talis arbitraria dispositio Judicibus delegatis, qui tantam potestatem circa redditus Beneficiorum non habent, qualem habet Episcopus. Unde in c. 5. de Transact. vitam Pensionarii non excedere jubetur *Census absque Episcopali autoritate solutus.*

25. Exemplum præbet Concilium CHALCEDONENSE, dum Act. 12. geminos de Episcopatu Ephesino litigantes removet, utrique tamen pensionem ducentorum solidorum ex redditibus ejus Ecclesiæ nutrimenti gratia assignat. Aliud exemplum ibidem occurrit Act. 14. in fin.

resignantis aut exauthorati 26.) : aut a beneficio suo injuste expulsi 27.) : pro utilitate Ecclesiae : propter merita in Ecclesiam. In permutatione Beneficiorum non potest concessio pensio ex hoc solo titulo, quod unus cedat pinguius beneficium, & tenuius acquirat. Ubique observandum, ut necessariae sustentationis modus non excedatur ex patrimonio pauperum; & ut constitutio Pensionis initium sumat *non ex petitione partium, sed ex iussione Iudicis, seu*

---

26.) In eodem Concilio Aët. 10. Domino exauthorato Episcopo Antiocheno conceditur *miserationis intuitu* pensio ex illa Ecclesia, *ut contentus alimoniis quiescat in posterum.* S. GREGOR. M. lib. II. Indict. XI. epist. 53. Episcopo deposito quinquaginta solidos constituit: nam nimis est impium, si alimentorum necessitati post vindictam subiaceat. Idem Episcopos renuntiantes, postmodum de relictibus relictæ Ecclesiae sufficienter nutriendos esse censebat. Joan. Diac. in Vita lib. IV. c. 39.

27.) Hoc charitatis obsequium præstari expulsis curavit S. Gregorius M. teste Joan. Diacono in Vita lib. III. c. 16. Exemplum est in lib. I. epist. 43.

*Ut sine diminutione &c.* 295

seu Episcopi : audiri tamen debet Beneficiatus, & Beneficii Patronus. Obligatio Pensionarii Clerici est, ut gestet habitum & Tonsuram: ut recitet Officium parvum B. Virginis, prout habetur in Breviario, nisi recitet ipsas Horas Canonicas: ut pro rata concurrat ad onera Beneficii. Extinguitur Pensio per mortem Pensionarii, nisi eodem vivente Pensio fuerit legitime translata ad alium 28.). Item per voluntariam cessionem Pensionarii, aut etiam per anticipatam solutionem ac redemptionem: ubi tamen communiter requiritur autoritas Superioris, si Pensio data sit alimentorum gratia, cum etiam alias non liceat transigere de alimentis futuris absque autoritate Prætoris 29.): cessante necessitate, seu paupertate Pensionarii, extinguuntur Pensionem ab Episcopo causa alimentorum Beneficiato impositam 30.):

T 4 non

---

28.) De Translatione Pensionis integrum tractatum scripsit FATINELLUS DE FATINELLIS.

29.) L. 8. pr. ff. & L. 8. C. de Transact.

30.) Card. de LUCA de Pensionib. discurs. 40. n. 6.



non autem extinguere pensionem proprie dictam, a Papa Beneficio impositam, censent Scriptores, quia hæc viget semper, quamdiu subsistunt ejus causæ intrinsecæ, *Materia* seu fructus Beneficii gravati; & *Forma*, quæ consistit in consensu Titularis, & Voluntate Papæ, licet cesset causa impulsiva, scilicet causa alimentorum 31.). De materia Pensionum consulantur singulares tractatus 32.).

§. 181.

- 
- 31.) LOTTERIUS de Re Benefic. lib. I. q. 41. h. I.  
 32.) Ejusmodi Tractatus de Pensionibus Ecclesiasticis scripserunt PAULUS Romanus, JOAN. BAPT. CACCIALUPUS, & aliis plenius HIERON. GIGAS, AUGUSTIN. BARBOSA Praxis exigendi Pensiones. Card. de LUCA tom. I. part. 2. de Pensionib. GARCIA de Benefic. p. I. c. 5. LOTTERIUS de Re Benefic. lib. I. q. 35. seqq. LEURENIUS For. Benefic. part. 3. sect. 1. c. 4. quæst. 428. seqq. Præpositus Frisingensis L. B. de ZELLER tom. I. Conf. 5. n. 92. seqq. VAN ESPEN Jur. Eccl. p. 2. tit. 28. Joan. WAMESIUS Confil. tom. I. Conf. 264. usque 284. THOMASSIN. p. 3. l. 2. c. 29. seqq.

§. 181. *Exactionis* nomine intelli- III. *Ex-*  
gitur omne id, quod Superiores a *actiones,*  
subditis exigunt extra ordinem: hoc  
loco intelligitur Pensio, quæ extra-  
ordinarie ab Episcopis ex justa cau-  
sa exigitur de redditibus Ecclesiasticis.  
Præcipua ejus species est *Subsidium*  
*Charitativum*, quando Prælatus Ec-  
clesiasticus ex manifesta ac rationa-  
bili causa cum charitate moderatum  
a Beneficiatis auxilium postulat 33.),  
ex obligatione ab his præstandum,  
utpote qui debere se, quod sponte  
tribuunt, existimant 34.). Exigere  
illud potest Papa, Episcopus, &  
qui habet Jurisdictionem quasi Epi-  
scopalem e. g. Cardinalis in suo Ti-  
tulo. Item qui habet administratio-  
nem Episcopatus, uti Capitulum  
Sede vacante, Commendatarius per-  
petuus, Coadjutor actu administrans:  
non tamen Archidiaconus, Decanus  
aut Vicarius Generalis, nisi ex spe-  
ciali mandato. Archiepiscopus po-  
test quidem Suffraganeos suos, &  
eorum subditos ad subsidium sibi

T § con-

---

33.) C. 6. §. prohibemus. de Censib.

34.) C. 1. de Donation.

concedendum *charitative monere* 35.), non tamen compellere. Qualiscunque autem Prælatus id facere non debet absque consilio Capituli. Causa justa & rationabilis in genere est utilitas & necessitas Ecclesiæ, cui non sufficiunt Reditus Episcopi: in dubio hæc non præsumitur, cum Jura exigant causam *manifestam*.

*A Beneficiatis in subsidium Charitativum præstandæ.* §. 182. Subsidium hoc exigere Episcopus potest a Clericis & Ecclesiis suæ Diocesis, & a Capitulo Cathedrali: non tamen a Clericis pauperibus, qui non habent ultra decentem sustentationem; neque ab iis, qui absque ullo Beneficio Ecclesiastico vivunt ex patrimonialibus, præsertim in illis Provinciis, ubi Clerici ratione patrimonialium subjecti sunt oneribus Laicorum; nec ab iis, qui absque culpa sua non percipiunt fructus Beneficii; nec a Monasteriis, quæ sunt libera a Lege Diocesana, ad quam pertinet subsidium Charitativum, nisi ratione Ecclesiarum secularium Monasterio subjectarum. Quantitas quidem Subsidii hujus videtur aliquo modo deter-

---

35.) C. 1. de Pœnit. in 6.

terminata 36.) : sed usus hodiernus respicit magis proportionem necessitatis 37.).

§. 183. Ad subsidium Charitativum IV. De-  
revocantur *Decimæ Papales*, quas Pon-  
tifex ex Reditibus Ecclesiasticis exi-  
git pro se, vel exigendas concedit  
Prin-

---

36.) Juxta Extrav. un. inter commun.  
de Censib. Episcopi non possunt pro sub-  
sidio Charitativo plus exigere, neque  
etiam a volentibus plus recipere, nisi  
quantum ascenderent singulæ Procura-  
tiones, quando per alium visitant. In  
partibus autem Alemanniæ in tali casu  
pro unius diei procuratione ultra 80.  
TURONENSIVM argenti valorem recipe-  
re Episcopi non possunt juxta dictam  
Extravagantem : Turonenses autem  
tales intelliguntur, quorum duodecim  
valeant unum florenum auri boni, pu-  
ri & legalis ponderis, ac cunii Floren-  
tini. Hos florenos pro Ducatis sumit  
HIERON. GIGAS tr. de Pension. q. 59.  
n. 7.

37.) Singularem Tractatum de Charita-  
tivo subsidio scripsit BARTHOLOMÆUS  
BELLENCINUS, & REMIGIUS DE  
GONNY. item NICOLAUS BOËRIUS  
Decif. 133. seqq.

Principibus 38.). Imponi solent urgente aliqua necessitate, præsertim pro expeditione belli contra hostes fidei: unde passim Decimæ *Saladini* appellabantur, quia CLEMENS III. eas imperavit contra Saladinum Saracenorum Regem, qui urbem Hierosolymitanam occupaverat 39.). *Varia querela & lites de his Decimis*  
tum

- 
- 38.) De his agit Clement. 2. de Decimis & Extrav. un. eod. inter comm. Quod autem ad hanc Constitutionem etiam nunc in dubio recurrendum sit, tradit MONETA de Decimis c. 9. n. 27. seqq.
- 39.) FLEURI *Histoire Eccles.* tom. 15. lib. 74. §. 15. & Discours VI. GUILLELMUS NEUBRIGENSIS de Rebus Anglic. l. 3. c. 33. ROGERUS Hovedenus *Annal.* part. poster. ad ann. 1188. fol. 366. *Exempla harum Decimarum* ubique occurrunt plurima, nominatim apud MART. CRAMERUM de *Reb. Polon.* lib. 6. fol. 115. lib. 12. fol. 209. lib. 30. fol. 437. ROBERT. GUAGNINUM de *Gestis Francor.* lib. 6. fol. 98. lib. 9. fol. 190. PAULUM ÆMYLIUM de *Reb. gestis Francor.* lib. 8. fol. 402. & 436.
- JACOB. MEYER. *Annal. Flandr.* lib. 11. fol. 127. & lib. 12. fol. 157.
- MEICHELBECK *Histor. Frising.* tom. 2. part.

*Ut sine diminutione &c.* 301

tum alibi, 40.) tum præcipue in Germania agitata sunt. In Concilio CONSTANTIENSI remedium ponere promisit MARTINUS V. 41.) : Idem autem eodem tempore decimas ejusmodi Clericis Germaniæ imposuit in sublevationem expensarum, quas Sigismundus Imperator pro tollendo schismate fecerat, quibus acriter contradictum fuit 42.) . LEO X. per  
Le-

part. I. fol. III. ubi refertur modus solvendi fol. II2. MARTENE & DURAND. Anecdotor. tom. 1. & 2. passim. Odoric. RAYNALD. Annal. Eccles. Anno 1215. n. 14. A. 1224. n. 25. A. 1227. n. 57. 58. 61. A. 1267. n. 53. seqq. A. 1291. n. 22. 56. A. 1292. n. 7. seqq.

40.) Has Decimas vehementer improbat PETRUS BLESENSIS Epist. II2. & 121. item in tract. de Hierosolymitana peregrinatione acceleranda : quæ ratio est, ut qui pro Ecclesia pugnant, Ecclesiam spolient, quam inimicorum spoliis, & donis triumphalibus ampliare debuerant ?

41.) In Reformatione Nationibus oblata art. 18. apud Von der Hardt Conc. Constant. tom. 1. part. 23. fol. 1038.

42.) Oppositioni septem Ecclesiarum Germanicarum nomine, Concilio oblatae præfigitur Titulus : *Dominici de Germaniano*

Legatos ad MAXIMILIANUM Imperatorem & Principes Germaniæ missos, pro bello contra Turcas necessarium putat, ut imponantur Clericis Decimæ, plebeis quinquagesimæ, cuique domui stipendium unius militis, divitibus annui census ac lucri vicesima. His opposita est petulans Oratio dissuasoria 43.): sed major reverentia erga Pontificem & studium Rei Christianæ infedit mentibus Principum 44.).

Obser-  
vanda  
circa  
eas,

§. 184. Circa has Decimas, nisi aliud exprimat, observantur ea, quæ in Corpus Juris Canonici sunt rela-

---

*miniano Sancti Florentini Repudium Decimarum, Diplomatum Martini V. & Edictis Episcoporum de Decimis a Clero Germano solvendis, oppositum in Concilio Constantiensi. apud Von der HARDT tom. 2. part. 23. fol. 606. seqq. Plura videri possunt apud Petrum DE MARCA Concord. Sacerd. & Imp. lib. 6. c. 12. n. 8. seqq.*

43) Dignus partus suo Autore, qui UDALRICUS HITTENUS fuisse fertur. Vid. German. Rerum Scriptores a Frehero editi tom. 2. m. fol. 391. seqq.

44.) Vid. Recept. Imper. Augustæ anno 1518.

relata 45.) : scilicet, ut solvantur in parata pecunia : Ecclesiarum Calices, libri & alia ornamenta ex causa pignoris vel distractionis non recipiantur : nihil exigatur de redditibus Hospitalium : nihil a regularibus personis publice mendicantibus, nec a Clericis ultra necessariam sustentationem non habentibus 46.) : nihil ex pecuniis Ecclesiæ relictis pro emendis perpetuis redditibus : nihil de sylvis, pascuis, stagnis, ex quibus non consuevit pretium redigi, nisi forte aliquid de illis (id est, de eorum proventibus) vendatur durante Decima : nihil de oblationibus ad opus fabricæ, vel quæ in certis festiuitatibus in candelis &c. consueverunt offerri : nihil de oblationibus

---

45.) Clem. 2. de Decimis. & Extrav. un. eod. int. com.

46.) In cit. Extrav. immunes dicuntur Clerici, quorum proventus annui summam septem ducatorum non excedunt, forte anno 1300. quo Constitutio illa edita est, hi redditus sufficiebant ad sustentationem Clerici : hodie res ad arbitrium prudentis Collectoris reducitur.



nibus Confraternitatum ad luminaria, Cruces, Calices comparandos vel reparandos, ad sepeliendos mortuos &c. collectis. Deducuntur expensæ necessariæ, quæ fiunt in re, ex qua fructus percipiuntur, arando, colendo, & colligendo fructus: Parochus deducit salarium, Capellanis suis constituendum, nihil tamen ratione victus 47.). Solvitur Decima de quotidianis distributionibus, & de juribus Stola 48.). Nostra etiam memoria sæpius Pontifices concesserunt, ut ex Beneficiis Ecclesiasticis & Monasteriis solverentur Decimæ quibusdam Principibus, munere Collectorum in Episcopos translato. Bene admonet Gregorius Tholosanus

---

47.) In allegata Extrav. mentio fit Parochi, qui Capellanis propter victum salarium constituere necesse habet. Legendum puto: *præter victum*, quod etiam observat MONETA de Decimis c. 9. q. 2. n. 52.

48.) Rationem dat Pontifex, quia non occurrit, quin proventus Ecclesiastici sint. Videri tamen meretur MONETA loc. cit. n. 77. seqq.

*Ut sine diminutione &c.* 309

Iosanus 49.) : caveant, qui exigunt, ne abutantur exactis, neve in usus alios convertant : non enim personis Ecclesiasticis solum injuriam irrogant, sed Deo & pauperibus, quorum patrimonium abliguriunt ; Deus autem non fallitur &c. Solent autem Pontifices a præstatione harum Decimarum eximere Cardinales, Equites Melitenses, & eos, quorum bona jam gravata sunt oneribus illius Principatus, in cujus emolumentum Indultum datur : singularibus etiam Privilegiis ab ejusmodi Decimis Papalibus, & subsidiis charitativis Societatem Jesu, & ejus Bona amplissimis verbis exemerunt Summi Pontifices PAULUS III. PIUS IV. & GREGORIUS XIII. 50.)

§. 185. Decimæ, de quibus di-Præfer-  
ctum, censentur ab aliquibus 51.)tim,  
U debi-

---

49.) Syntagm. Jur. univ. lib. II. c. 20.  
n. 8.

50.) Vid. Compend. Privilegior. S.J. verb.  
Exemptio. §. 4. & 5. & Bullæ Ponti-  
ficiæ in Instit. Societatis Vol. 1.

51.) Eo scilicet jure, quo in veteri testa-  
mento Pontifici debebantur Decimæ De-  
cimarum.

*De Jure Rer. Eccles. Pars poster.*

*quando  
Princi-  
pibus  
conce-  
duntur,*

debitæ Summo Pontifici, & ab hoc  
cessæ Principibus, Isti autem præ-  
terea in variis occasionibus dona li-  
beralia a Monasteriis & Clericis vel  
expectant, vel exigunt. Hæc fuisse  
olim a Monasteriis annuatim præ-  
stita Regibus Francorum, abunde  
constat (52.), quæ videntur tandem  
in necessitatem transisse. Abusus  
tollere studuit Concilium LATERA-  
NENSE III. sub ALEXANDRO III. ita  
tamen, ut æquitati & bono publi-  
co consulatur, si *Episcopus & Clerus  
tantam necessitatem vel utilitatem aspex-  
erint, ut absque ulla exactione ad rele-  
vandas communes utilitates vel necessi-  
tates, ubi Laïcorum non suppetunt facul-  
tates,*

---

52.) Concilium VERNENSE sub Pipino  
ann. 755. can. 6. Concil. AQUISGRAN.  
sub Ludovico Pio ann. 817. ubi refer-  
tur Notitia Monasteriorum, quæ Regi  
militiam, dona, vel solas orationes de-  
bent, ratione haud dubie habita pau-  
pertatis vel divitiarum. Idem LUDO-  
VICUS PIUS reservat sibi dona dari solita  
ex Cella Turholt apud Bollandum tom.  
1. Febr. fol. 405. in vita S. Anscharii  
Archiep. Hamburgens. n. 59. Item Con-  
cil. ad THEODONIS VILLAM, ann. 844.  
c. 4.

tates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda 53): propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex prius consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere, prout provide adjicit Concilium LATERANENSE IV. sub INNOCENTIO III. 54.), & magis confirmat BONIFACIUS VIII. per famosam Constitutionem Clericis Laicos &c. 55.), ingentium motuum fomitem inter hunc Pontificem & Philippum Pulchrum Regem Galliae 56.). Postea tamen Saeculo XVI. haec onera, sive Decimarum, sive Doni gra-

U 2

tuiti

---

53.) C. Non minus 4. de Immunit. Eccles. & FAGNAN. inidem.

54.) C. 7. ibid.

55.) C. 3. eod. in 6. Hanc Constitutionem benigne quidem ipse BONIFACIUS declaravit: ejus successor BENEDICTUS XI. per Extray. un. eod. inter commun. mitigavit: demum CLEMENS V. omnino revocavit, & ad terminos utriusque Concilii Lateranensis reduxit. Clement. un. eod.

56.) Vid. Histoire des Demelez du Pape Boniface VIII. avec Philippe par ADRIEN BAILLET fol. 25. seqq. Et JOAN. RUBEUS in Bonifacio VIII. lib. 1. c. 15. & lib. 2. c. 7.

tuiti nomine, facta sunt ordinaria in Gallia, ac etiam in Belgio 57.). In Germania autem Episcopi & Abbates, qui possident Feuda Imperii, contribuunt ad communes necessitates juxta Conclusa Comitiorum Imperii: reliquus Clerus sæcularis & Regularis non difficilem se præbet urgente necessitate ad subsidium præstandum Principibus suis, ad normam allegati Concilii Lateranensis.

*V. Regalia, maxime apud Gallos nota.*

§. 186. Aliud Ecclesiarum onus, præcipue in Gallia, dicitur *Regalia*, per quam vocem numero singulari sumptam, intelligunt Jus Regi competens ad fruendum redditibus, ad Ecclesiam Cathedralē Sede vacante pertinentibus, donec novus Episcopus, juramento fidelitatis Regi præstito, Ecclesiæ possessionem adipiscatur. Hanc vocant *Regaliam* temporalem: spirituales dicunt jus ad conferendum Præbendas & Beneficia non Curata, interim vacantia, donec novus Episcopus Sedis suæ posses-

---

57.) Vid. THOMASSIN. vet. & nov. Eccles. Discipl. p. 3. lib. I. c. 38. 43. VAN ESPEN Jur. Eccl. univ. p. 2. tit. 35. c. 3.

possessionem obtineat. Ortum videtur habere a Jure quodam Custodiæ & Depositi, cum vacante Ecclesia fructus interim, qui proveniunt, Principibus custodiendi, aut in depositum committuntur, Electo postea Ecclesiæ Pastori integri restituendi. Jus hoc competere potest vel ex reservatione in fundatione, vel ex privilegio, vel ex consuetudine: transit autem paulatim in fructuum occupationem & appropriationem. GREGORIUS X. in Concilio Lugdunensi Anno 1274. cum abolere omnes abusus non posset, & pro recuperanda Palæstina benevolos Principum animos conciliare studeret; tolerandum aliquid ratus, constituit tamen, ut qui ab ipsarum Ecclesiarum fundatione, vel ex antiqua consuetudine jura sibi hujusmodi vendicant, ab illorum abusu sic prudenter absterneant, & suos ministros in eis solícite faciant abstinere, quod ea, quæ non pertinent ad fructus sive redditus provenientes vacationis tempore, non usurpent (58.).

U 3

Non.

---

58.) C. 13. de Elect. in 6. GUILLIELMUS DURANDUS, qui interfuit Concilio Lugdunensi, in Commentario ad hoc Capi-

310 *Sectio III. Tit. XII.*

Non obstante hac moderatione, Jus istud semper magis fuit extensum in Gallia, cum Rex post Episcopi obitum conferat etiam vacantia Beneficia non Parochialia, & quidem in omnibus (paucis exceptis) Regni sui Diocesibus, cum olim solummodo in quibusdam fuerit usurpatum 59.). Jus igitur Regaliæ ex quatuor juribus conflatum est I. ex jure nominandi Episcopum. II. jure illum investiendi. III. jure conferendi Beneficia Sede Episcopali vacante. IV. jure percipiendi proventus, fructusque vacantis Ecclesiæ Cathedralis. Plura non opus est adde-

---

*Capitulum m. fol. 40. dicit: præsens Constitutio fuit ad clamorem Prælatorum Franciæ & Angliæ promulgata, modicam tamen ex ea illic adhuc sequi videmus utilitatem.*

59.) Juris Regaliæ etiam ad Monasteria extensi memorabile specimen præbet illa, qua sub Ludovico XIV. involutæ fuerunt Moniales Congregationis B. M. V. a Petro Forerio fundatæ, prout narrat EUGENIUS LOMBARDUS (COELESTINUS SFONDRATI) in Regali Sacerdotio Prælud. §. I. n. 10.

addere, cum jus istud locum non habeat in Germania 60.)

§. 187. Ultimo loco inter Onera *VI. Procuratio- nes in* Beneficiorum numerantur *Procuratio- nes in* necessarii sumptus ac expensæ, qui- *Visita- tioni-* bus Episcopi, vel alii illorum loco, *bus:* actualiter visitantes Dicecesin vel Ec- clesias, indigent pro sustentatione competenti, quæ comprehendit victum & habitationem Visitatoris, honestique comitatus, atque equorum necessariorum 61.). Sicut autem Visitatio summe necessaria est,

U 4                      ita

---

60.) Videri possunt fuse de hac materia scribentes ARNULPHUS RUZÆUS de Jure Regaliæ. PHILIPPUS PROBUS sub eodem titulo. PETRUS DEMARCA de Concord. Sacerd. & Imper. lib. 8. c. 1. 17. 22. VAN ESPEN. Jur. Eccles. part. 2. tit. 25. c. 8. CORLESTINUS Card. SFONDRATI Regale Sacerdotium. Item Gallia vindicata, ubi Maimburgi & Natalis Alexandri argumentis respondet. FLEURY Institut. au Droit Ecclesiast. part. 2. C. 18.

61.) Procuratio etiam debita foret Legatis Apostolicæ Sedis transeuntibus, c. 17. de Censib. sed hodie per non usum videtur abrogata.



ita etiam Sacri Canones solícite cavent, ne populus & Clerus per eam nimium gravetur, sed eam potius grato animo suscipiant 62.).

*Varia  
circa  
has sta-  
tuta.*

§. 188. Statuitur itaque I. Visitantes caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint: nec cum canibus venatoriis, & avibus profiscantur 63.), sed ita procedant, ut non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, quærere videantur: nec sumptuosas epulas quærant, sed cum gratiarum actione recipiant, quod honeste ac competenter illis fuerit ministratum, modesto contenti equitatu, famulatuque. II. Ne ipsi, aut quisquam suorum quidquam, nec pecuniam, nec munus, qualitercunque oblatum, procuratoris causa accipiant; non obstante qua-

62.) Limites ponuntur in Concil. LATERAN. III. & IV. relato c. 6. & 23. de Censib. item Conc. TRID. sess. 24. c. 3. de Reform.

63.) Ex hac Constitutione Concilii LATERANENSIS III. & numero equorum sibi permisso, elucet, quod eo tempore Visitationes nonnunquam fuerint institutæ occasione Venationis cujusdam,

quacunque consuetudine, etiam immemorabili. III. Etiam pro Visitatione Testamentorum ad pias causas nihil admittendum est, præter id, quod ex relictis piis Episcopo jure communi debetur. IV. Accipere possunt victualia, hoc est, esculenta & poculenta, sibi ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, & non ultra, ministranda. V. Sit in optione eorum, qui visitantur, an malint antea consuetam taxam pecuniarum solvere, an vero victualia subministrare: ubi autem consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, id ibi observetur 64.). VI. Si una die Episcopus visitet duas Parochias, debet esse contentus una Procuratio-

U 5 ne:

---

64.) Oratoria privata nullas solvunt Procuraciones. C. fin. de Censib. saluum etiam jubetur manere jus conventionum antiquarum cum Monasteriis, aliisque piis locis, aut Ecclesiis non Parochialibus initum, quod illæsum permaneat. Præscriptio autem locum non habet C. 17. de Censib. nisi sit immemorialis. Advertit autem FAGNANUS in C. Venerabili

ne: nec licet subsistere extra casum necessitatis in eadem Ecclesia ultra unum diem 65.). VII. Episcopi visitantes non possunt Procurationem exigere a Laicis 66.). VIII. Si quisquam (vel ipse Visitans, vel ejus familiares & ministri) aliquid amplius accipere præsumperit, is præter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis juxta Constitutionem Concilii LUGDUNENSIS 67.), vel in Synodo Provinciali determinandi, absque ulla spe veniæ, mulctetur.

rabili. eod. n. 29. ut de consuetudine non solvendi procurationem dicatur constare, non sufficere, ut visitati nunquam Episcopum procuraverint, sed probari oportere, Episcopum petiisse Procurationem, & visitatos detrectasse illam solvere, & postea Episcopum per longum tempus acquievisse.

65.) Unde Episcopus visitans Ecclesias vel Clerum Civitatis Cathedralis, non potest prætere Procurationem, aut victualia a Visitatis, quia Visitatione expleta potest domi suæ victum sumere.

66.) Quia solos Clericos, non Laicos nominant Sacri Canones, quamvis isti sint simul visitati. ZYPÆUS Jur. Pontif. novi lib. 3. Tit. de Censib. n. 9. FEVRET traité del'Abus lib. 3. c. 4. n. 7. fol. 282.

67.) G. 2. de Censib. in 6.

TITULUS XIII.

DE MODIS, QUIBUS EX-  
TINGUITUR VEL ALTERA-  
TUR BENEFICIUM.

§. 189.

**B**ENEFICIUM Ecclesiasticum dicitur *Extin-*  
(§. 103.) *Jus perpetuum &c. ea sci-* *guitur*  
*licet perpetuitate, quæ in humanis vel sup-*  
*rebus expectari potest. Optime con-* *primi-*  
*stituta vicissitudini subjecta sunt. tur Be-*  
Paucos exhibemus modos, quibus *nefici-*  
*idem Beneficiis Ecclesiasticis con-* *um*  
*tingit.* Extinguitur Beneficium,  
quando Ecclesia destruitur una cum  
Reditibus: aut ab Infidelibus occu-  
patur, ut nullus ibi fiat Cultus Di-  
vinus 68.): aut si Pontifex permit-  
teret Monasteriis, ut Ecclesias in  
proprium usum convertant 69.).  
*Supprimitur* Beneficium, si Ecclesiæ  
subtrahitur erecta ibi Dignitas, aut  
Præbenda, vel Præbendarum nume-  
rus diminuitur. Cum ista tendant  
ad diminutionem Divini Cultus, at-  
que ideo difficilius permittantur  
70.);

---

68.) C. 42. VII. q. 1. Extrav. 3. de Elect.  
inter Commun.

69.) C. 19. de Privileg.

316 *Sectio III. Tit. XIII.*

70.) ; semper requiritur gravis et necessaria causa. Præter alias ex singularibus circumstantiis obortas rationes 71.) , causa suppressendi Beneficium est vindicta gravis scelerum 72.) : defectus Sacrarum Reliquiarum 73.) : Diminutio Redituum 74.) & quidem talis , ut persona idonea non possit cum fructibus illis vivere , & satisfacere oneribus Beneficii 75.) . Praxis Romana requirit etiam , ut probetur ista diminutio habito respectu quantitatis assigna-

12

70.) C. 12. de Constit.

71.) Rationes, ex quibus suppressus est Patriarchatus Aquilejensis, videre licet in Constitutione super hoc negotio edita a BENEDICTO XIV. Anno 1751. & continetur in ejusdem Bullario Tom. III. Const. 50. & in Append. N. 4.

72.) C. fin. XXV. q. 2.

73.) C. 26. dist. 1. de Consecr. ubi reprobandur *que per somnia & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicunque constituuntur Altaria.*

74.) C. fin. de V. S.

75.) Observari hoc loco meretur id, quod dicit Imperator JUSTINIANUS Novell. 3. in fine princ. *Non oportet ad mensuram expensarum querere etiam possessiones (hoc enim simul ad avaritiam, impietatemque perducit) sed ex iis que sunt, expensas metiri.*

*De Extinctione Beneficii.* 317

tæ a principio foundationis : nam si Beneficiati Prædecessores diuturno tempore contenti fuerunt ea portione & quantitate, non est minuendus numerus sub prætextu insufficientiæ Redituum. Similiter nec supprimendum est Beneficium, nec minuenda onera, nisi depauperatio facta sit post acceptationem Beneficii; nam imputandum est ei, qui depauperatum beneficium accepit 76.). Causa reducendi numerum etiam est, quando contra intentionem & providentiam Fundatorum plures admissi sunt: vel etiam quando numerus in nimiam multitudinem effusus est 77.). Suppres-  
sum

76.) Gloss. in C. i. XXI. q. i. v. necessitatem.

77.) Hoc desumitur ex ea ratione, qua JUSTINIANUS Imperator nimiam multitudinem Referendariorum ad minorem numerum reduxit, *Causa jure a nobis honorata, deinde in multitudinem effusa, ne propria immineatur honestate* &c. Novell. 10. Consonat, quod ex S. Hieronymo dicitur in C. 24. dist. 93. circa fin. *Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit.* item C. 12. dist. 40. *Multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes; multi nomine, pauci opere.*

sum vel extinctum Beneficium re-  
viscere potest, sublata causa, quæ  
illud vivere impedit, vel quæ Ca-  
tum Divinum exercere non permis-  
tit: si postea augeantur proventus  
78.); vel si causa suppressionis de-  
prehendatur insufficientis 79.).

*Variis  
modis,*

§. 190. Suppressio vel saltem Ab-  
teratio Beneficiorum sæpe fit per  
*Unionem* Titulorum, quæ est duo-  
rum vel plurium Beneficiorum in  
perpetuum conjunctio 80.). Multi-  
tæ hujus Unionis species a Docto-  
ribus solent recenseri, quæ desum-  
debent ex formulis uniendi 81.).  
Propriissime dicta *Unio* est, quando  
ita Beneficia conjunguntur, ut ex  
duobus unum tantum, & veluti  
ter-

78.) C. 8. & 9. de Constitut.

79.) C. 12. ibid.

80.) C. 8. de Excess. Prælat.

81.) Conjunctio duorum Beneficiorum  
in unius personæ favorem, non est pro-  
prie Unio, nec hujus loci: dabatur olim  
ob defectum Presbyterorum; postea  
etiam pro specioso pallio ad possidenda  
plura Beneficia, quod reprobatur Conci-  
lium TRID. Sess. 7. c. 4. de Reforma-

*De Extinctione Beneficii.* 319

tertium quoddam genus fiat, retentis in uno utriusque privilegiis 82.). Nonnunquam unum Beneficium subijcitur alteri, ubi non fit proprie Unio, sed potius subjectio per modum Unionis 83.): vel Canonicatus incorporatur Parochiæ, ut quicumque obtinet Parochiam, eo ipso sit Canonicus 84.): vel Abbatia uniuntur Episcopatibus 85.).

§. 191.

82.) Exemplum habemus in C. 3. de Stat. Monach.

83.) De tali subiectione intelligitur C. 3. de Ecclef. ædif. C. II. de Major. & obed.

84.) Ingolstadii, ubi hæc scribuntur, Parochus ad Speciosam est simul Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Eustettenfis, gaudetque annuis proventibus æqualiter cum aliis Domicellaribus ejusdem Ecclesiæ. Sic etiam CLEMENS VII. concessit, ut Doctores Theologiæ in Academia Ingolstadiensi actu legentes, ad præsentationem Ducum Baviariæ gaudeant Canonicatu & Præbenda in Ecclesiis Salisburgensi, Augustana, Frisingensi, Ratisbonensi & Passaviensi, quod hodie non observatur: nescio an in usum aliquando deducta fuerit hæc facultas.

85.) Abbatia Prumiensis perpetuæ administrationis jure pertinet ad Archiepiscop-



*Præfer-  
tim per  
Unio-  
nem,  
quoad  
Tempo-  
ralia;* §. 191. Præcipuam attentionem pro praxi meretur Unio, qua Ecclesiæ Parochiales incorporantur Monasteriis, Collegiis, Capitulis, Dignitatibus. Hujus numerantur tres species, Incorporatio quoad sola temporalia: quoad temporalia & spiritualia simul: demum Incorporatio pleno Jure. In dubio præsumitur illa, quæ Parœciali Ecclesiæ est minus onerosa, & autoritati Episcopi minus detrahit. Prima incorporationis species *quoad temporalia* intelligitur, quando etiam dicitur Ecclesia dari, conferri, possideri 86.) concessio enim jurium spiritualium requirit expressam mentionem. Unde

---

scopatum Trevirensis. Bulla unionis a GREGORIO XIII. Anno 1579. data extat in Histor. Trevirens. Diplom. tom. 3. fol. 94. Hæc Unio subreptionis accusata fuit a P. Priore Monasterii Cosma Knauff Anno 1716. Similiter Abbatia Augiæ Divitis unita est Episcopatu Constantiensi: hæc unio pariter nuper impugnata fuit; sed utrinque sinistro eventu.

86.) Desumitur hoc ex C. 7. de Donation. ubi Episcopus concedendo Ecclesiam, tantum censetur dare, quod *temporaliter* obtinet in Ecclesia.

de quando legimus in quibusdam sæculis Ecclesias in Beneficium Laicis concessas esse, Ecclesiarum nomine Decimas, aliosque Reditus concessos intelligimus,

§. 192. Altera species quoad temporalia & spiritualia simul, datur, Temporalia & spiritualia simul, quando Cura animarum committitur, vel recipi ab Episcopo mandatur, vel etiam si Monasterium, cui unitur Ecclesia Parochialis, expressis verbis verus ac proprius Pastor vocatur. Hac ratione ille, cui Parochia est unita, plerumque est & vocatur Parochus primitivus vel habitualis, quando scilicet non sola temporalia bona alicujus Parochiæ sunt incorporata Monasterio, Collegio, vel Dignitati; sed ipsa Ecclesia est eidem collata, in qua tamen non ipsum Monasterium exercet curam animarum, sed tenetur efficere, ut cura hæc exerceatur per idoneum Vicarium: ita tamen, ut titulus Parochiæ vere resideat penes Monasterium 87.). Episcopi autem his

X

tem-

87.) De Parochiis primitivis intelligitur C. 12. de Præbend. C. 1. eod. in 6. Clem. 1. de Jure Patronat.

*De Jure Rer. Eccles. Pars postea.*

temporibus vehementer urgent, Vicarii constituentur ex sæculari Clero: nec acceptant Regularem, priori tempore saltem bis constitutus fuerit Presbyter Sæcularis 88.) Quiscunque demum sit Vicarius, sive Regularis, sive Sæcularis, debet ille ab Episcopo non solum generaliter approbari ad audiendas Confessiones, sed specialiter deputari ad exercitium Curæ animarum in hac determinata Ecclesia; nisi Curæ animarum ita incumbat Monasterio, ut ejus Decanus vel Prior sit verus Parochus actualis, & alterius operetur utatur tanquam Sacellani 89.).

*Aut Pleno jure,* §. 193. Tertia species Incorporationis fit *pleno jure* 90.), quando conceditur Jurisdictio quasi-Episcopalis, ita ut Monasterium habeat Clerum & Populum sibi uni saltem in spiritualibus subjectum. Notandum

38.) C. 5. de Præbend. in 6.

89.) Videantur geminæ Dissertationes de Parocho primitivo Treviris editæ, cum adjuncta Constitutione *Firmandis* a BENEDICTO XIV. edita Anno 1744.

90.) Alii distinguunt inter Incorporationes *pleno jure*, & *plenissimo jure*: sed non apparet fundamentum hujus distinctionis in sacris Canonibus,

dum tamen, ex solis verbis pleno Jure non inferri plenam incorporationem: sunt enim hæ voces æquivocæ, & applicabiles cujunque juri; sic Decimæ dicuntur pleno jure ad aliquem pertinere: attendendum igitur ad alias expressiones clariores 91.).

§. 194. Ecclesiarum, quæ invi-<sup>Quenam</sup>cem uniuntur, deberet esse aliqua <sup>Ecclesie,</sup> qualitas prope similis, in qua convenire possunt. Hinc Parochialibus Beneficiis non deberent uniri Beneficia Regularia; nec Ecclesiæ Parochiales Monasteriis, aut Abbatiis, vel Dignitatibus 92.). Beneficia Juris Patronatus Laici, vel Collativa sine consensu Patronorum, vel

X 2 Col-

91.) Terminus *pleno jure* significans plenissimam incorporationem, adhibetur in C. 3. §. 2. de Privileg. & in hoc ipso sensu sumitur terminus *utroque jure* in C. 21. eod.

92.) Conc. TRID. Sess. 24. c. 13. de Reform. Unde si aliquid fiat contra ordinationem hanc Concilii, intercedere deberet Autoritas Summi Pontificis. In Bavaria quoad temporalia debet fieri cum præscitu Principis, uti alia quoque, *ubi temporalium rerum tractatus suscipitur*, juxta Concordata de Anno 1583.

Collatorum ; aut perpetuo reservata Pontifici, ab Episcopo uniri non possunt, nec conjungi Collegiatis Ecclesiis, vel in eas converti. Curandum etiam, ne confundantur termini seu limites Diocesium, uniendo Ecclesias variarum Diocesium 93.)

*Et a quibus possint uniri?* §. 195. Unio Episcopatum ad solum Pontificem pertinet 94.): aliarum Ecclesiarum ad Episcopum, cum consensu Capituli, antequam Ecclesia vacat, & quando vacat; nisi vellet Episcopus unire Mensæ suæ, vel Mensæ Capitulari; hoc enim non posset etiam cum consensu Capituli, non obstante consuetudine contraria, quæ velut corruptela reprobatur 95.) quia non potest sibi in facto proprio esse autor Episcopus. Unire etiam potest alius, qui habet Jurisdictionem

93.) TRIDENT. Seff. 14. c. 9. de Reform.

94.) C. 8. de Excess. Prælat.

95.) Clem. 2. vers. fin. de Reb. Eccles. non alien. THOLOSANUS de Benefic. Eccl. c. 20. n. 6. BARBOS. de Offic. & Pot. Episc. p. 3. alleg. 67. n. 9. seq. HIER. GONZALEZ ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 37. n. 25. PYRRHUS CORRADUS Prax. Benef. l. 2. c. 8. n. 84. seqq. LEUREN in For. Benef. p. 3. q. 897. P. PICHLER ad Tit. de Præbend. n. 23.

*De Extinctione Beneficii.* 325

nem quasi - Episcopalem. Eandem potestatem Capitulo Sede vacante plures tribuunt; alii tamen negant 96.). Fieri etiam potest Unio per Præscriptionem, probato immemoriali tempore.

§. 196. Uniones non sunt temere faciendæ, sed potius revocandæ (97.), cum per illas imminuatur Cultus Divinus; & Reditus, qui pluribus sufficerent, ad unam Ecclesiam revocentur. Causæ duæ recensentur, *evidens necessitas, vel utilitas* 98.), scilicet ob paupertatem, si singulæ Ecclesiæ non possunt per se nutrire Rectorem 99.); ob vicinitatem locorum, & penuriam populi

*Ex evidenti necessitate vel utilitate.*

X 3

96.) LOTTERIUS de Re Benefic. l. 1. q. 28. n. 141. opinionem Capitulo faventem, tanquam improbabilem rejicit.

97.) Conc. Trid. Sess. 7. c. 6. de Reform. Inter centum Gravamina, quæ in Comitibus Norimbergensibus Anno 1522. Legato Apostolico a Principibus Imperii fuerunt exhibita, locum octogesium sextum obtinet querela de Parochiis incorporatis; quarum Vicarii non habent congruam sustentationem.

98.) C. 33. de Præbend.

99.) TRID. Sess. 21. c. 7. de Ref.

puli 100.) : ob favorem Præbendæ  
cujusdam pauperis, Collegii, Semi-  
narii & institutionis juventutis, vi-  
tæ Monasticæ &c. His enim Præ-  
bendæ possunt uniri, modo susci-  
pianur earum onera, vel relinqua-  
tur congrua pensio pro Vicario in  
loco Beneficii.

*Effectus unionis.* §. 197. Effectus est I. ut unita Be-  
neficia pro uno habeantur, & pos-  
sint ab uno teneri. II. Beneficium  
Mensæ unitum non vacat mortuo  
eo, qui illud administrat 1.). III. Uni-  
torum vacatio non fit alterutrius;  
sed aut ambo vacant, vel neutrum;  
unoque collato, annexum quoque  
collatum censetur. IV. Qui possi-  
det Beneficia unita, potest in alter-  
utro residere, & alteri servire per  
substitutum: si tamen unum sit dig-  
nius & in majore Ecclesia, oportet  
eam in hac deservire 2.).

§. 198.

---

100.) C. 3. §. sed & hoc. X. q. 3. C. 48.  
XVI. q. 1.

1.) Clement. un. de suppl. neglig. Præb.  
& Clem. un. de Excess. Prælat.  
2.) C. 30. §. qui vero. de Præbend.

De Extinctione Beneficii. 327

§. 198. *Dismembratio* est aliqua di-  
minutio Beneficii, dum salva illius *Dis-*  
unitate pars reddituum, quibus a-*mem-*  
bundat, ab eo aufertur, & applica-*bratio:*  
tur alteri, remanente interim Bene-  
ficio penes suum Rectorem ordina-  
rium, ita ut titulus Beneficii non  
extinguatur. Requirit easdem cau-  
sas & solennitates, quæ requiruntur  
ad alienationem rerum Ecclesiasti-  
carum.

§. 199. Sicut *Dismembratio* est *Divisio:*  
vicina Unioni, ita huic Unioni op-  
posita est *sectio*, seu *Divisio* Benefi-  
cii, quando ex uno Beneficio fiunt  
duo vel plura, ita ut divisis fructi-  
bus, duo in posterum Parochi, vel  
Beneficiati instituantur. Fieri non  
debet sine præscitu eorum, quo-  
rum interest; & nisi Beneficium  
præbeat tot Reditus, ut sufficiant  
ad duos Beneficiatos sustentandos  
3.). Causa in Beneficiis Parochia-  
libus potest esse, copia & distantia  
Parochianorum tanta, ut Officiis  
Divinis in Ecclesia Parochiali com-  
mode

---

3.) C. 8. & 26. de Præbend.



mode non possint interesse 4.) • Fic  
Talis Divisio, si tollatur facta Unio,  
vel expresse, vel tacite per actus  
contrarios, aut cessante causa 5.).

*Altera-* §. 200. Insuper alteratur Benefi-  
*tio Be-* cium per mutationem formæ primæ  
*nesicii.* in aliam: veluti si ex Abbatia fiat  
Episcopatus 6.): ex Episcopatu Ar-  
chiepiscopatus 7.) - ex Parochia  
Monasterium 8.): ex Bene-  
ficio Regulari sæcu-  
lare 9.).



- 
- 4.) C. 3. de Eccles. ædif. Conc. Trid. Sess.  
21. c. 4. de Ref.  
5.) Exempla rescissæ Unionis habemus  
C. 1. ne sede vac. &c. C. 8. de Excell.  
Prælat.  
6.) Id contigit Fuldæ, Anno 1752.  
7.) Extrav. 5. de Præbend. inter com-  
mun. Suppresso Patriarchatu Aquilejen-  
si erectus est Archiepiscopatus Utinen-  
sis & Goritiensis Anno 1751.  
8.) C. 73. XII. q. 2.  
9.) Tales Ecclesias Collegiatas & Cathe-  
drales habemus plures in Germania, ut  
Elyacensis &c.